CICERO QUA RATIONE XENOPHONTIS OECONOMICUM LATINE VERTERIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

CAROLUS VIRCK

WIMARIENSIS.

DIES PROMOTIONIS: I MENS. OCT.

A. MCMXIV.

Rettulerunt ad ordinem de hac dissertatione:

Eduardus Norden, Dr. Prof. publ. ord.
Ulricus de Wilamowitz-Moellendorf, Dr. Prof. publ. ord.

Eduardo Norden

Index

Praefatio.

M. Tullius Cicero, qui excolendis Romanorum animis Graecas litteras quam maxime adhibendas esse intellexit, multa ex Graecorum scriptoribus in suam linguam transtulit, cum singulas partes, quas idoneis locis orationi inserere solebat, tum etiam integros libros, quos videtur praecipue exercitationis causa vertisse. qua autem ratione usus sit in interpretandis Graecorum scriptoribus valde operae pretium est considerare, qua de re Atzertius [1]) optime meritus est, qui de Arateis, de Timaeo, de versibus Homeri tragicorumque poetarum a Cicerone conversis opusculum bonae frugis plenissimum conscripsit. nos eodem modo nobis proposuimus in Xenophontis Oeconomicum inquirere [2]), quem Cicero se adulescentem convertisse profitetur de off. II 87: *res autem familiaris quaeri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo, conservari autem diligentia et parsimonia, eisdem etiam rebus augeri. has res commodissime*

[1]) C. Atzert, de Cicerone Graecorum interprete. Gottingae 1908, diss.

[2]) nam praeter nonnullas observationes, quarum idoneis locis mentionem faciam, hac de re a viris doctis nihil prolatum erat, quam nuper Lundströmius primus aggressus est in Erano XII 1912 pag. 1 (Ciceros öfversättning af Xenophons Oikonomikos); cuius opusculum, quod mihi in manus venit, postquam meum paene absolvi, cum Suecae linguae ignarus sim, primum neglexi, sed nuper cive huius gentis benigne adiuvante perlegi; quo facto magnum cepi gaudium et quod in universum mecum ille vir doctus consentit et quod mihi maiorem laboris partem non praesumpsit. nam ad totam rem magis ille spectat; nos contra maiorem in singulis investigandis operam navavimus ita, ut quae ab illo non tractata a nobis suppleri, quae incohata, ad finem perduci, quae coniciendo tantum prolata sunt, locis allatis confirmari posse sperem. quia autem meam disputationem, priusquam illius novissem, paene absolutam fuisse dixi, iis locis, quibus isdem ambo nitimur argumentis, meis verbis usus Lundströmium in adnotationibus tantum, ubi nova profert, pluribus verbis respexi.

Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur, quem nos ista fere aetate cum essemus, qua es tu nunc[1]), *e Graeco in Latinum convertimus.*

Ciceronis liber aetatem ipse non tulit, ex quo tamen scriptores quidam posteriores numerum satis magnum reliquiarum nobis servaverunt; sed cum maior libri pars nihilominus interiit, prospere evenit, quod praeter ipsas reliquias testimonia nonnulla exstant, ex quibus, quid veteres de Ciceronis opere senserint, cognosci potest; quae omnia liceat primum in unum congerere et inter se comparare[2]).

Inter testimonia primum locum tenent verba ipsius Ciceronis, quae supra attulimus; accedunt duo loci Columellae XI 1,5: *itaque in Oeconomico Xenophontis, quem M. Cicero Latino sermoni tradidit* . . . XII praef. 7: *haec in Oeconomico Xenophon et deinde Cicero, qui eum Latinae consuetudini tradidit, non inutiliter disseruerunt.*

Tum Hieronymus in Euseb. Chronic. II praef. 1: *vetus iste disertorum mos fuit, ut exercendi ingenii causa Graecos libros Latino sermone absolverent et, quod plus in se difficultatis habet, poemata illustrium virorum addita metri necessitate transferrent; unde et noster Tullius Platonis integros libros ad verbum interpretatus est et, cum Aratum iam Romanum hexametris versibus edidisset, in Xenophontis Oeconomico lusit; in quo opere ita saepe aureum illud flumen eloquentiae quibusdam scabris et turbulentis obicibus retardatur, ut qui interpretata nesciunt, a Cicerone dicta non credant.*

Idem in epistula 57,308 (ad Pammachium)[3]): *ego enim non solum fateor, sed libera voce profiteor me in interpretatione Graecorum absque scripturis sanctis, ubi et verborum ordo mysterium est, non verbum e verbo, sed sensum exprimere de sensu. habeoque huius*

---

[1]) Scribit ad Marcum filium, qui cum Athenis litteris studeret, primum et vicesimum annum agebat.

[2]) Fragmenta una cum testimoniis collegerunt Baiter—Kayser XI p. 50—54; C. F. W. Mueller IV 3, p. 307—310; Orelli IV p. 974—979; sed cum eorum unusquisque locos parum diligenter exscripserit, paene ubique scriptores ipsi adeundi sunt. numeros adiecimus editionis Baiter—Kayserianae.

[3]) Deest hic locus in editionibus. cf. E. Richter, Xenophon in der römischen Literatur. Programm, Charlottenburg 1905, pag. 21.

rei magistrum Tullium, qui Protagoram Platonis et Oeconomicum Xenophontis et Aeschinis ac Demosthenis duas contra se orationes pulcherrimas transtulit. quanta in illis praetermiserit, quanta addiderit, quanta mutaverit, ut proprietates alterius linguae suis proprietatibus explicaret, non est huius temporis dicere. sufficit mihi ipsius translatoris auctoritas, qui ita in prologo earundem orationum locutus est[1]: '*putavi mihi suscipiendum laborem utilem studiosis, mihi quidem ipsi non necessarium. converti enim ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas orationes inter seque contrarias, Aeschinis et Demosthenis: nec converti ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem et earum formis tamquam figuris verbis ad nostram consuetudinem aptis. in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere: sed genus omne verborum vimque servavi. non enim me annumerare ea lectori putavi oportere, sed tamquam appendere.*' *rursum in calce sermonis*[2]: '*quorum ego*', *ait*, '*orationes, si, ut spero, ita expressero, virtutibus utens illorum omnibus, id est sententiis et earum figuris et rerum ordine: verba persequens eatenus, ut ea non abhorreant a more nostro. quae si e Graecis omnia conversa non erunt, tamen ut generis eiusdem sint elaboravimus.*'

Denique Quintilianus inst. orat. X 5,2: *vertere Graeca in Latinum veteres nostri oratores optimum iudicabant. id se L. Crassus in illis Ciceronis de oratore libris dicit factitasse; id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit, quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos.*

Testes igitur, quos adhuc produximus, uno quasi ore idem fere tradunt neque quidquam est, quod a verbis ipsius Ciceronis dissentiat; quae enim ille dicit, hi confirmant, vertisse Tullium Xenophontis Oeconomicum, quo in opere describendo Hieronymus paulum moratur. cum his vero testimoniis non in totum congruunt, quae Servius ait in Verg. Georg. I 43: *sane sciendum Xenophontem scripsisse unum librum Oeconomicum, cuius pars ultima agriculturam continet, de qua parte multa ad suum hoc opus Vergilius transtulit, sicut etiam de Georgicis Magonis Afri, Catonis, Varronis, Ciceronis quoque libro tertio Oeconomicorum, qui agri-*

---

[1]) cf. de opt. gen. orat. 13—14.

[2]) cf. de opt. gen. orat. 23.

culturam continet; nam primus praecepta habet, quem ad modum debeat materfamilias domi agere, secundus quem ad modum foris paterfamilias.

Servium videmus Ciceronis opus una cum Xenophonteo ita commemorare, tamquam nihil omnino commune habeant et Cicero sine Xenophontis auxilio suum librum conscripserit. sed ne quis suspicetur spectare haec verba ad aliud quoddam opus Ciceronianum, de quo alicubi nulla exstent testimonia, quaenam fuerit res a Tullio hoc in opere tractata Servius ipse addit, qui Ciceronem dicit primum de matris atque patris familias officiis, tum de agricultura locutum esse. haec vero plane eadem sunt, quae apud ipsum Xenophontem eodem ordine invenimus. postquam igitur intelleximus referendum esse grammatici testimonium ad id opus, quod Cicero in libris de officiis ipse significat, videamus cetera. Servius operis Tulliani tres libros commemorat, quorum primus continuerit quae ad matrisfamilias officia, secundus quae ad labores patris familias, tertius quae ad agriculturam pertinent. haec si recte ab eo tradita sunt, Cicero in libro primo ea tractavit, quae Xenophon in capp. 7—10, in altero quae ille in capp. 11—15, in tertio denique quae ille in capp. 16—20. sed Xenophontem videmus ad rem sibi propositam, quam tribus illis partibus inter se fere paribus complectitur, in septimo demum capite aggredi; nam priusquam ad ipsam materiam perveniat, prooemium sex capitum praemittit, quod unius fere partis amplitudinem habet. sic enim Oeconomicum suum instruxit, ut in prooemio Socratem colloquentem faciat cum Critobulo, deinde post prooemium ei narrantem, quomodo ab Ischomacho de villa bene administranda edoctus sit. item epilogo unius capitis Xenophon totum opus concludit (cap. 21): sed quaerentibus nobis prooemium illud utrum coniunctum fuerit cum prima parte ita ut primus liber prooemium una cum matris familias officiis complecteretur an solutum fuerit a librorum conexu an denique omnino omissum[1]), et item epilogus utrumne libro tertio adhaeserit

[1]) Cum ex prooemio plus uno fragmento servatum non sit (frg. 3 cf. Xen. 6, 12), hanc praefationem a Cicerone totam conversam esse, etsi credo, tamen certis argumentis evincere nequeo. nam quoniam hic locus spatio haud magno a primae partis initio diremptus sit, nescio an Cicero sibi prologum ex ultimis tantum verbis praefationis formasse satis habuerit.

necne, Servius nihil respondet. iam vero testimoniis penitus examinatis et inter se comparatis duo sunt, quae pro certo statuere audeamus, quibus quoniam argumentis nituntur satis firmis omnibusque probatis haud facile quemquam repugnaturum esse confido.

I. Si Cicero ipse suum opus in tres libros divisit, Xenophontis Oeconomicum non convertit ut interpres, sed eo fundamento tantum usus multa vel de suo ingenio vel de aliis fontibus addidit atque totam rem tantopere amplificavit, ut uno volumine iam non absolvi posset. cui enim non videbatur necessarium esse Brutum vel oratorem pluribus libris absolvi quemque iam antea in libris de inventione tantam materiam duobus tantum voluminibus complexum esse constat, eum in interpretando Xenophontis Oeconomico ex libro satis parvo tria volumina effecisse parum probabilitatis habet.

II. Sin autem Cicero Oeconomicum convertit ut interpres et nihilominus eius opus tripartitum fuit, hanc partitionem non ab ipso factam sed a posteriore quodam vel librario vel grammatico originem ducere putandum est[1].

Utramque viam iam multis annis ante Schenkelius ingressus est; qui in studiis Xenophonteis[2] eam rem, de qua ipsi disputamus, obiter tetigit cum dicit: 'Obwohl nun Cicero de off. 24, 87 seine Arbeit als eine Übersetzung bezeichnet, so zeigt doch die Notiz bei Servius Verg. Georg. I 43 (vgl. Macrob. Sat. II 16)[3],

[1]) Cum his rebus investigandis operam dare coepi, mihi primum partes illae operis Xenophontei videbantur tanta tenuitate esse, ut ne posteriorum quidem iudicio librum quaeque efficere posset, praeter primam fortasse, siquidem Ciceronis liber primus Xenophontis primam partem una cum prooemio continuit, de qua re Servium tacere vidimus. sed cum Lundströmium hac in re non offendisse vidissem, qui his de rebus amplissima doctrina egit, Birtii librum evolvi, qui inscribitur 'Das antike Buchwesen'. quo facto sententiam meam mutare coactus sum. demonstrat enim vir doctissimus sub imperatorum temporibus Romanorum eos scriptores, quibus de re quadam arida ac molesta scribendum erat, id egisse ut suos libros redigerent ad amplitudinem eorum, qui versibus compositi erant (p. 322); qualem librum non potuisse versuum minorem numerum quadringentis vel quingentis hexametris amplecti (p. 294/95). quodsi redimus ad Oeconomicum, nisi fallor, vel altera pars in septingentos vel octingentos hexametros transscribi potest.

[2]) Schenkl, Xenophontische Studien, Berichte der Wiener Akademie 83, 1876, p. 105/6.

[3]) Corrigendum est: Macrob. sat. III 20,4.

wonach der Oeconomicus drei Bücher umfaßte [et in adnotatione: 'Freilich bleibt die Annahme möglich, daß diese Abteilung des Oeconomicus in drei Bücher erst einer späteren Zeit angehört, da Columella keine Bücher zitiert'], und die Vergleichung der erhaltenen Fragmente, daß Cicero neben Xenophon auch noch andere Quellen benützt und den Stoff bedeutend erweitert hat. Wenn er daher auch die Form des Dialoges zwischen Sokrates und Ischomachus (Colum. XI 1,5 und 15) und den Gang des Gespräches festgehalten hat, so kann man doch schwerlich von einer Übersetzung sprechen.'

Quod vir doctus in adnotatione partitionem illam fortasse post ipsius Ciceronis tempora factam esse concedit ideo, quod Columella locis allatis librorum numerum non adiecerit, hanc argumentationem positam esse in fundamento satis infirmo recte monet Lundströmius; nam cum Columella ne in afferendis quidem versibus Vergilianis librorum numeros addere soleat, suo iure quispiam colligat ne Aeneida quidem in libros divisam fuisse. sed nihilominus fieri posse, ut posteriorum quidam Ciceronis opus disposuerit, etiam Lundströmius iudicat (p. 3). nos autem, si hoc forte nobis nunquam contingat explorare opus illud Ciceronianum utrum ab ipso an ab alio quodam an omnino unquam in tres libros divisum fuerit, alterum tamen quod solvere nostra magnopere interest, utrum Cicero Oeconomicum accurate verterit an in vertendo amplificaverit ex ipsis reliquiis apertum fore speramus[1]. nam cum Schenkelius, qui sibi videtur in reliquiis praeter Oeconomicum aliorum quoque fontium vestigia invenisse, ubinam haec vestigia lateant non addiderit, hanc quaestionem redintegrari oportebit. quodsi supra hoc nobis propositum esse diximus quaerere, quanam ratione Tullius Xenophontis Oeconomicum interpretatus sit secuti Atzertium, nunc quoniam id ipsum dubium esse intelleximus an Oeconomicum omnino interpretatus sit, duplex officium ortum esse videmus. nam in reliquiis considerandis ubique quaerendum erit primum, utrum Cicero locum accurate reddiderit an libere cum eo egerit, et si interpretationem agnoverimus, tum demum qua ratione verterit demonstrabimus.

---

[1]) cf. Lundström p. 4.

Sed priusquam ad laborem propositum aggrediamur, restat ut in universum quam brevissime moneamus neque hoc verisimile esse Ciceronem Xenophontis Oeconomicum in vertendo amplificasse neque illud eius opus tria volumina continuisse.

Nam primum vocabulis vertendi et convertendi apud Ciceronem omnibus locis id significatur, quod nos dicimus 'übersetzen'; quapropter ne illi quidem loco, quo se Xenophontis Oeconomicum convertisse profitetur, aliam quandam significationem inesse colligere licet. sane Cicero ubicumque vertit *non verbum pro verbo reddidit*[1]), sed *ad Romanorum consuetudinem omnia adaptavit*[1]); attamen quae mutavit, ad verba tantum, non ad rem pertinebant neque tantum Cicero aut addere Graeco exemplari aut detrahere potuit, ut in interpretatione eius amplitudo non admodum servaretur. Plautus sane et Terentius, cum fabulam Romanam ex pluribus Graecis conscripsissent se Graecos poetas vertisse profitebantur; sed Cicero eam se rationem non probare ipse dicit de fin. I 7: *quamquam si plane sic verterem Platonem aut Aristotelem, ut verterunt nostri poetae fabulas, male, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognitionem divina illa ingenia transferrem.* praeterea Columella, qui operi suo conscribendo Ciceronis librum adhibuit, eum Xenophontis Oeconomicum *Latino sermoni* et altero loco *Latinae consuetudini* tradidisse ait, id quod nobis videtur de nulla alia re dictum esse nisi de interpretando. tum etiam ex reliquiis apparet Ciceronem non modo formam dialogi, sed etiam easdem personas servasse; contra in libris, qui sunt de re publica, ubi Platonis libris eiusdem nominis fundamento tantum usus est, pro Graecis novas personas Romanas induxit. denique per se ipsum parum verisimile est Ciceronem cum viginti fere annos natus esset, libros de re rustica edere in animo habuisse; hoc contra multo probabilius eum exercendi ingenii causa Oeconomicum interpretatum esse sicut etiam Arati carmen et Platonis Protagoram. accedit quod Aratea et Protagoras una cum Oeconomico ab Hieronymo nominantur. Hieronymus autem de Ciceronis opere tali modo loquitur, ut quin ei ad manus fuerit vix dubium esse possit[2]).

Ut transeamus ad alteram quaestionem, inter eos, qui reliquias

[1]) de opt. gen. orat. 14.

[2]) cf. Richter p. 21.

nobis servaverunt, Servius fere unus est, qui Ciceronis opus plurali numero affert[1]); nam Donatus, Charisius, Priscianus, Gellius, Nonius[2]) in afferendis locis se ea quae proferunt, ex Oeconomico, non ex Oeconomicis hausisse omnes profitentur[3]). sane ex solo titulo hac de re pluresne libri fuerint an unus nil certi statuere licet; sed si in tria volumina opus Ciceronianum divisum fuit, mirum est inter testes modo enumeratos non unum esse vel alterum, qui locis allatis libri numerum apposuerit. cum Servio unus facit Macrobius tali modo locutus (sat. III 20,4): . . . *et Cicero Oeconomicon libro tertio* . . . .; sed quoad video, viri docti in hoc consentiunt saturnaliorum libri tertii caput vicesimum fluxisse ex commentario quodam, qui etiam Servio praesto esset, ut haec duo testimonia pro uno habere liceat[4]). sane neque hoc constat Servium, quem praeter Macrobii auctorem alios quoque fontes adhibuisse consentaneum est, etiam eos locos quibus Ciceronis Oeconomicorum mentionem facit, ex illo commentario sumpsisse et hoc in dubio relinquendum est, an omnino ex uno fonte quattuor illi loci manaverint; sed illa verba, quibus Servius de opere Ciceroniano

[1]) Praeter locum supra commemoratum cf. ad Verg. Georg. II 288; ad Aen. I 703; ad Georg. II 412.

[2]) a Nonio duo loci traduntur, quorum alterum (p. 161) hausit ex Gellio. quod Lundströmius (p. 4 et 5) dicit Nonium hoc loco praebere *Oeconomicis* non *Oeconomico*, in errorem deductus est a Lindsayo, qui in editione Nonii contra omnium codicum et Gellii auctoritatem *Oeconomico* mutavit in *Oeconomicis*.

[3]) Testimonia Columellae, Hieronymi, Quintiliani, ipsius Ciceronis ad hanc rem nihil pertinere censeo, qui hoc tantum Ciceronem Xenophontis Oeconomicum vertisse referunt, neque vero dicunt quomodo eius opus inscriptum fuerit.

[4]) De Macrobii fontibus scripsit Linke: quaestiones de Macrob. saturn. fontibus. Vratislaviae 1880; cuius sententiam a viris doctis adhuc refutatam non esse testatur Wissowa, (Athenaeus und Macrobius. Nachrichten von der Kgl. Ges. der Wissenschaften zu Göttingen, Philol.-histor. Klasse 1913 Heft 3 p. 325), qui ipse de tertii libri fontibus haec ait (Gesammelte Abhandlungen zur römischen Religions- und Stadtgeschichte. München 1904 p. 103 in adn.): '. . . . Endlich ist es für die Scheidung von Wichtigkeit, daß dem (kürzeren) Servius wohl der Kommentar, nicht aber die Abhandlung über die verba pontificalia vorgelegen hat. Nach diesen Kriterien glaube ich als aus dem letztgenannten Traktate geflossen die Abschnitte III 2,1—13. 17; 3,1—10; 4,1—5; 5,1—7; 7,3—8; 8,5—14 in Anspruch nehmen zu sollen. Alles übrige stammt aus dem fortlaufenden Kommentar [scilicet etiam caput vicesimum]. Vgl. jetzt auch M. Kretzer, de Romanorum vocabulis pontificalibus (Diss. Halle 1903) S. 28 ff.'

paulo fusius loquitur, undecunque hausta sunt, ad fontem quendam redire haud magnae auctoritatis certis argumentis agnoscere mihi videor. nam primum nullo modo stare possunt quod Vergilium ad Georgica sua multa ex Xenophontis Oeconomico transtulisse legimus[1]); deinde Ciceronis opus una cum Xenophonteo ita commemorari vidimus, ut is, qui haec scripsit hoc ex illo aliquo modo pendere ignorare videatur, de qua re nostro quidem iudicio tacere non debuit. qui tali modo de utroque opere loquitur, sive haec verba ad ipsum Servium sive ad eius auctorem redeunt, eum neque alterum neque alterum novisse putaverim. quare quod Lundströmius (p. 4) suspicatur duo fuisse exemplaria, quorum alterum inscriptum fuerit *Oeconomicus*, Servii vero et Macrobii *Oeconomicon libri tres*, valde dubito an huius generis exemplar omnino umquam exstiterit[2]).

Sed tandem praefari desinentes convertamus nos ad ipsas reliquias.

Pars I.

I. Donatus ad Terent. Phorm. II 3,4: *Pro deum immortalium,* ἔλλειψις, *deest 'fidem' aut quid tale. Cicero in Oeconomico:*

Xen. 7,9	frg. 4
πρὸς θεῶν, ἔφην ἐγώ, ὦ Ἰσχόμαχε, τί πρῶτον διδάσκειν ἤρχου αὐτήν, διηγοῦ μοι	quid igitur, pro deum immortalium, primum eam docebas, quaeso?

Haec igitur a Cicerone paene ad verbum conversa sunt, neque tamen ita, ut omnes alterius linguae proprietates reddat; nam pleonasmum, qui est in verbis τί πρῶτον ἤρχου non imitatus simplicius dicit: *quid primum docebas.* tum etiam Xenophon oratione obliqua loquitur: τί πρῶτον διδάσκειν ἤρχου αὐτήν, διηγοῦ μοι. Cicero autem quia maluit oratione recta uti, pauca mutare coactus erat; quare

---

[1]) cf. Richter p. 12.

[2]) cf. Richter p. 18: 'Was die Benutzung Xenophons durch Vergil betrifft, so habe ich diese Behauptung schon oben als irrig bezeichnet; auch die Angabe des 3. Buches von Ciceros Oeconomicus kommt mir sehr verdächtig vor.'

non dicit: *quid primum eam docueris expone mihi*, sed: *quid primum eam docebas, quaeso?*

II. Nonius p. 449,19 sq. (lib. VI): *interfici et occidi et inanimalia posse veteres vehementi auctoritate posuerunt . . . . . : M. Tullius Oeconomico:*

Xen. 16,4	frg. 10
οἶδα μὲν οὖν, ἔφην, ἀκριβῶς, ὅτι οὐδαμῶς ἂν μᾶλλον ἡ μὲν ὕλη ἐπιπολάζοι καὶ αὐαίνοιτο ὑπὸ τοῦ καύματος, ἡ δὲ γῆ ὀπτῷτο ὑπὸ τοῦ ἡλίου	nullo modo facilius arbitror posse neque herbas arescere et interfici neque terram ab sole percoqui

Videmus Ciceronem non vertisse ἐπιπολάζοι, sive quod facili opera hoc facere non potuit, sive quod, ut censet Lundströmius (p. 6), significationem non perspexit. sed cum duo exstent apud Xenophontem vocabula, ἐπιπολάζοι et αὐαίνοιτο, Cicero ut ipse duo haberet, in interpretatione altero praetermisso alterum bis reddidit. hoc enim loco arescere et interfici idem fere significant, quoniam arescendo herbae interficiuntur. recte autem nos iudicasse inde colligo, quod eandem interpretandi rationem etiam aliis locis Cicero secutus est. cf. Protagoras frg. 3[1]) (Priscian. V 12,64; VI 7,35): *quae igitur potest esse indignitas voluptatis ad molestiam, nisi in* ***magnitudine*** *aut* ***longitudine*** *alterius utrius posita?* (Plat. Prot. 356 A: καὶ τίς ἄλλη ἀναξία ἡδονῇ πρὸς λύπην ἐστὶν ἀλλ' ἢ ὑπερβολὴ ἀλλήλων καὶ ἔλλειψις;). de div. I 60: *ut aut cum matre corpus miscere videatur, aut cum quovis alio vel homine vel deo, saepe belua atque etiam* ***trucidare*** *aliquem et* ***impie cruentari*** *multaque facere impure atque taetre cum temeritate et impudentia.* (Plat. rep. 571 C: μητρί τε γὰρ ἐπιχειρεῖν μείγνυσθαι ὡς οἴεται οὐδὲν ὀκνεῖ ἄλλῳ τε ὁτῳοῦν ἀνθρώπων καὶ θεῶν καὶ θηρίων **μιαιφονεῖν** τε ὁτιοῦν, **βρώματός** τε **ἀπέχεσθαι μηδενός**· καὶ ἑνὶ λόγῳ οὔτε ἀνοίας οὐδὲν ἐλλείπει οὔτ' ἀναισχυντίας). Tusc. III 41: *nec equidem habeo, quod intellegam bonum illud, detrahens eas voluptates, quae sapore percipiuntur, detrahens eas, quae* ***auditu*** *et* ***cantibus****, detrahens eas etiam quae ex formis percipiuntur oculis, suaves motiones, sive quae aliae voluptates in toto*

[1]) ed. Baiter — Kayser XI p. 55.

homine gignuntur quolibet sensu. (Usener Epicurea p. 120: οὐ γὰρ ἔγωγε δύναμαι νοῆσαι τἀγαθὸν ἀφαιρῶν μὲν τὰς διὰ τῶν χυλῶν ἡδονάς, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀφροδισίων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς δι' ἀκροαμάτων, ἀφαιρῶν δὲ τὰς διὰ μορφῆς κατ' ὄψιν ἡδείας κινήσεις).

III. Sequatur locus, qui duorum testium consensu traditur, Gellii atque Nonii[1]); sed cum hunc ab illo sua accepisse appareat, nam eadem affert exempla, Gellii testimonium attulisse satis erit (XV 5): *quod significare autem volunt qui 'profligatum' dicunt, hi, qui Latine locuti sunt, non 'profligatum', sed 'adfectum' dixerunt, sicuti M. Cicero in oratione, quam habuit de provinciis consularibus. eius verba haec sunt: 'bellum adfectum videmus, et, vere ut dicam, paene confectum.' item infra: 'nam ipse Caesar quid est, quod in ea provincia commorari velit, nisi ut ea, quae per eum adfecta sunt, perfecta rei publicae tradat?' idem Cicero in Oeconomico*:

Xen. 19,19	frg. 15
ὅταν δὲ καιρὸς ᾖ ὑπὸ τοῦ ἡλίου ἤδη γλυκαίνεσθαι τὰς σταφυλάς	cum vero adfecta iam prope aestate uvas a sole mitescere tempus est

Paulo liberius quam adhuc ab eo factum esse vidimus Cicero hoc loco progressus est; nam quae addidit *adfecta iam prope aestate*, haec in Graeco fonte desiderantur, neque tamen hoc additamentum talis generis est, ut Schenkelium secutus novam quandam rem a Cicerone inductam esse dixeris[2]); hoc enim saepius sibi indulsit, ut in interpretando explicationis causa pauca insereret. cf. de senect. 80: *cum hominis natura morte dissolvitur.'* (Xen. Cyrop. VIII 7,20 διαλυομένου δὲ ἀνθρώπου).

IV. Macrobius saturn. III 20,4: *quid, quod ficum tamquam non pomum secerni a pomis*[3]) *apud idoneos reperimus? Afranius in Sella 'pomum, holus, ficum, uvam'. sed et Cicero Oeconomicon libro tertio*:

———

[1]) p. 160/161 (lib. II).

[2]) cf. etiam Lundström p. 6.

[3]) cf. etiam Cato XXVIII: *oleas, ulmos, ficos, poma, vites, cupressos cum seres.* XL: *in locis crassis et umectis ulmos, ficos, poma, oleas seri oportet.*

Xen. 20,4	frg. 14
οὐ γὰρ ἐπιμελεῖται ὡς φυτεύσῃ ἀμπέλους οὐδὲ αἱ οὖσαι ὅπως φέρωσιν αὐτῷ. οὐδὲ ἔλαιον οὐδὲ σῦκα ἔχει ἀνήρ.	neque serit vitem neque quae sata est diligenter colit: oleum, ficos, poma non habet

Quod videmus a Cicerone unum vocabulum '*poma*' additum esse, ne hoc quidem loco animum nostrum inducere possumus, ut interpretis rationem ab eo relictam et amplificatoris negotium susceptum esse existimemus; nam etsi sensu hoc verbum postulatum non erat, nobis tamen Cicero, quotiens plures res nulla coniunctione interposita enumerat, id semper curare videtur, ut tria membra habeat, cuius consuetudinis ex sescentis paucissima exempla affero: de fin. I 32: *neque porro quisquam est, qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, consectetur, adipisci velit.* de orat. I 33: 'leges, iudicia, iura describere'. pro Sex. Rosc. Amer. 144: *si tibi optima fide sua omnia concessit, adnumeravit, appendit.* Catil. II 262: *reliquis autem de rebus constituendis, maturandis, agendis iam ad senatum referemus.* — et eodem modo in interpretatione, quamquam Graeca verba longe aliter se habent (de rep. I 66): *tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint et large sibi libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit; praepotentes, reges, tyrannos vocat.* (Plat. rep. 562 D: τοὺς ἄρχοντας δή, ἂν μὴ πάνυ πρᾷοι ὦσι καὶ πολλὴν παρέχωσι τὴν ἐλευθερίαν, κολάζει αἰτιωμένη ὡς μιαρούς τε καὶ ὀλιγαρχικούς).[1])

V. Priscianus VIII 4,19 (frg. 3): *Cicero in Oeconomico*: '*homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur*'. ἀξιοῦνται *passive.* Priscianus haec verba exscripsit a media fere sententia orsus, quae tota Graece sic legitur (Xen. 6,12): τί οὖν, ἔφη ὁ Σωκράτης, ὦ Κριτόβουλε, ἄν σοι ἐξ ἀρχῆς διηγήσωμαι ὡς συνεγενόμην ποτὲ

[1]) Suspicor Ciceronem non posuisse *neque oleum neque ficos* ideo, quod paulo ante habet *neque serit vitem . . . neque colit*; itaque ad hanc mutationem suaviloquentiae legibus coactus est. quare non assentior Lundströmio, qui in Graeco fonte intercidisse οὐδὲ μῆλα conicit p. 6. — ceterum hoc additamento Cicero noxam rei non attulit, cum in oleis atque ficis describendis Xenophon non ultra vagetur, sed verbo ταῦτα arborum genera breviter comprehendat, quae si fusius tractasset, Ciceroni de pomis plura addenda fuissent.

ἀνδρί, ὅς ἐμοὶ ἐδόκει εἶναι τῷ ὄντι τούτων τῶν ἀνδρῶν ἐφ' οἷς τοῦτο τὸ ὄνομα δικαίως ἐστὶν ὃ καλεῖται καλός τε κἀγαθὸς ἀνήρ; secundum quae verba locus Ciceronianus exempli causa sic fere expleri potest: *quid, si ab initio tibi narrem mihi quendam occurrisse hominem ex eo numero hominum* . . . . cum verba Graeca in Latinum haud facili opera accurate transferri posse videantur, Cicero more boni interpretis Xenophontem ad verbum non secutus ab exemplari paulum recessit; quamquam nihil est, quod in vertendo plane praetermiserit; nam cum non haberet quid substitueret in locum praeclarae Graecorum sententiae ἀνὴρ καλός τε κἀγαθός, se eam reddidisse vocabulo 'homo' tamquam ipse significare velit, duo verba addidit: 'apud nos', quoniam cognomen illud Graecis tantum, non barbaris convenit.

VI. Charisius I p. 106 sq. Keil (frg. 12): *alvaria neutro genere pluraliter tantum dicuntur. Vergilius: 'seu lento fuerint alvaria vimine tecta'; quamvis Cicero in Oeconomico singulariter dixerit: 'apes in alvarium concesserant.'* codices praebent *concesserant*, quod Victorius mutavit in *congesserant.* nam si legitur *concesserant*, non est cui loco Xenophonteo haec verba assignentur; sin autem mutatur ut vult Victorius, similis locus occurrit hic: ἃ ἂν ἐκεῖναι ἐργασάμεναι τροφὴν καταθῶνται (Xen. 17,14). is sane Victorio non assentietur, qui perseveret in sententia Schenkelii, qui censet operis Ciceroniani reliquiis res multas inesse, quae non ex Oeconomico, sed ex aliis fontibus haustae sint. at nos vel ob hoc facere non possumus quin Victorium recte emendasse iudicemus, quod etiam Cassianus contra Nestorium VII 5,4 eodem modo loquitur: *depasti tantummodo flores in alvearia congeruntur*[1]). quare si Ciceronis sunt quae legimus: *apes in alvarium congesserant*, Cicero in interpretando locum significavit, quo mella inferantur. cf. de senect. 70: *nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis, sed eum esse in hoc corpore ex iis rebus, quas gerebam, intellegebatis.* (Xen. Cyrop. VIII 7,17: οὐδὲ γὰρ νῦν τοι τήν γ' ἐμὴν ψυχὴν ἑωρᾶτε, ἀλλ' οἷς διεπράττετο, τούτοις αὐτὴν ὡς οὖσαν κατεφωρᾶτε).

---

[1]) Victorii coniectura etiam Lundströmio probatur, qui Muenzerum secutus monet hunc locum sedem habere in parte quadam operis Charisiani quae ad Plinium redeat, qui cum in afferendis locis neglegentia saepenumero egerit, Ciceronis verba facile corrumpere potuerit (p. 6. cf. Muenzer, Beiträge zur Quellenkritik des Plinius p. 39).

VII. Corrupta sunt quae tradit grammaticus de dub. nom. V p. 576 Keil. (frg. 17), qui ne hoc quidem addit, ex quonam libro hauserit ea, quae Ciceronis esse testatur: *culmus generis neutrius, ut Nepos vult. Cicero autem: 'erit (ērt M erunt V) breves culmus.'* Hauptius emendare voluit: *eruunt breves culmos*, suspicor secundum haec Xenophontis: ἂν μὲν βραχὺς ᾖ ὁ κάλαμος τοῦ σίτου, ἔγωγ᾽, ἔφην, κάτωθεν ἂν τέμνοιμι (18,2); sed mihi magis placet Keilii coniectura, quae spectat initium eiusdem sententiae: *erit brevis culmus* (ἂν μὲν βραχὺς ᾖ ὁ κάλαμος).

VIII. Servius in Verg. Georg. II 288 (frg. 13) *scrobes masculini sunt generis, nam et Cicero in Oeconomicis sic dicit.* cf. Xen. 19,3: βοθύνους μὲν γὰρ οἵους ὀρύττουσι . . .

IX. Servius in Verg. Aen. I 703 (frg. 19): *ordine longo]; id est dispositione, secundum Tullium, qui in Oeconomicis dicit, quid ubi ponendum sit; nec enim debent universa confundi.* cf. Xen. 8,3 ἔστι δ᾽ οὐδὲν οὕτως, ὦ γύναι, οὔτ᾽ εὔχρηστον οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς τάξις. cuius loci interpretatio a Columella servatur (XII 2,4): *quis enim dubitet nihil esse pulchrius in omni ratione vitae dispositione atque ordine?*

X. Plinius nat. hist. XVIII 60,224 (frg. 11): *sementibus tempora plerique praesumunt et ab undecimo die autumnalis aequinoctii fruges serunt adveniente Coronae exortu, continuis diebus certo prope imbrium promisso; Xenophon, non antequam deus signum dederit. hoc Cicero noster*[1]) *imbre fieri interpretatus est, cum sit vera ratio non prius serendi quam folia coeperint decidere.*

Vituperatur Cicero, quod signum serendi imbribus dari interpretatus sit. sed hoc est, quod Xenophon ipse docet: ἐπειδὰν γὰρ ὁ μετοπωρινὸς χρόνος ἔλθῃ, πάντες που οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸν θεὸν ἀποβλέπουσιν, ὁπότε βρέξας τὴν γῆν ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν. discimus igitur ex hoc loco non Ciceronem, sed ipsum Plinium non recte intellexisse quid sit βρέξας τὴν γῆν.[2])

---

[1]) N R (F E) N. R (T). *novembris* vulgata; *noster* recte interpretatus est Dalecampius.

[2]) Hoc iam ante me observatum esse a Muenzero (p. 39) cognovi ex Lundströmii opusculo (p. 7), qui verba *deus* et *signum dederit* orationis Ciceronianae frustula esse recte vidit.

Iam vero reliquias apud varios scriptores passim dissipatas praeter unum locum omnes recensuimus, quo in opere non modo suum cuique locum Xenophonteum convenire vidimus, sed etiam Ciceronem ad verba Graeca ita se applicasse, ut interpretationem ubique agnosceremus[1]. quae cum ita sint, iam nunc licet sentire quam non sit probabile Ciceronem in vertendo Xenophontis Oeconomico multa vel addidisse vel mutasse. nam licet hoc ab eo sit factum, nonne mirum sit inter tot reliquias non unam esse vel alteram, cui certus locus apud Xenophontem assignari nequeat? — sed restat locus obscurus et ambiguus, de quo si nobis omnem dubitationem tollere non contingat, tamen testimonii auctoritatem deminui posse spero[2].

XI. Servius in Verg. Georg II 412 (frg. 18): *laudato ingentia rura, exiguum colito]; hoc etiam Cato ait in libris ad filium de agricultura. quod ideo dictum est vel quia maiores agros incultos rura dicebant, id est, silvas et pascua, agrum vero, qui colebatur, ut intellegamus: 'laudato ingentes silvas, colito agrum minorem', vel quod melius est, quia ait in primo 'alternis idem tonsas cessare novales et segnem patiere situ durescere campum', quod fieri non potest, nisi fuerint spatia maiora terrarum; nam et Cato, ut diximus, et Cicero in Oeconomicis*[3] *ob hoc laudat*[4] *praedia latifundia: vel quod, ut dicit Donatus, etiam non culta praestant aliquid domino.*

Quod Servius ait Ciceronem in Oeconomicis praedia latifundia laudasse, his de rebus sane nihil invenitur in Xenophontis Oeconomico: sed antequam aliorum nos fontium vestigia in Ciceronis opere invenisse statuamus, videamus ea quae sequuntur. pergit Servius Ciceronem praedia latifundia laudasse vel ob aliam quandam causam, quam supra attulit, *vel quod, ut dicit Donatus, etiam non culta praestant aliquid domino.* cum Ciceronis nomen una cum Catonis afferatur, Ciceronem fundos sic fere laudasse ut ipsum Catonem nostro iure colligimus. Catonem vero latifundia eadem ratione lau-

[1]) cf. Lundström p. 7.

[2]) Miror quod Lundströmius hunc locum praetermisit, qui mihi sane videtur ad solvendam quaestionem haud parvi ponderis esse.

[3]) codd. *oeconomia*.

[4]) V *laudant*.

dasse ac Vergilius Servius initio totius loci dixit. itaque et Cicero et Cato et Vergilius secundum Servii testimonium eodem omnes modo praedia latifundia laudaverunt. sed ut certiores fiamus, quanam ratione Vergilius haec fecerit, ipsum faciamus loquentem: *laudato ingentia rura, exiguum colito.* poeta igitur nihil aliud dicit nisi haec: 'noli invidere divitibus dominis, qui magnos fundos possident, quos ipse quam maxime possis laudes; sed cave ne ipse emas'. Sed Servius hoc omnino non intellecto locum Vergilianum sic explicat, tamquam poeta laudatis magnorum fundorum qualitatibus suadeat rusticis, ut tales sibi comparent[1]. quod cum procul a vero esse intellexerimus, ne haec quidem stare possunt quae legimus Ciceronem, quem latifundia eodem modo atque Vergilium laudasse Servius ipse testatur, eorum bonitatem laudibus extulisse: quodsi ait Donati testimonio nisus Ciceronem in Oeconomicis praedia latifundia ideo laudasse, quod etiam non culta praestant aliquid domino, equidem facere non possum, quin eum Donatum perperam intellexisse suspicer, qui hoc mihi videtur rettulisse Ciceronem in Oeconomico[2]) inculta praedia laudasse. nam hoc est quod Xenophon dicit (20, 22/3): οὐδέποτε γὰρ εἴα χῶρον ἐξειργασμένον ὠνεῖσθαι, ἀλλ' ὅστις ἢ δι' ἀμέλειαν ἢ δι' ἀδυναμίαν τῶν κεκτημένων καὶ ἀργὸς καὶ ἀφύτευτος εἴη, τοῦτον ὠνεῖσθαι παρῄνει. τοὺς μὲν γὰρ ἐξειργασμένους ἔφη καὶ πολλοῦ ἀργυρίου γίγνεσθαι καὶ ἐπίδοσιν οὐκ ἔχειν, τοὺς δὲ μὴ ἔχοντας ἐπίδοσιν οὐδὲ ἡδονὰς ὁμοίας ἐνόμιζε παρέχειν, ἀλλὰ πᾶν κτῆμα καὶ θρέμμα τὸ ἐπὶ τὸ βέλτιον ἰόν, τοῦτο καὶ εὐφραίνειν μάλιστα ᾤετο.

Itaque sive recta sunt quae disputavimus sive non, hoc unum nobis videmur ostendisse ne hoc quidem loco magnam esse Servii auctoritatem. quare si forte ex uno hoc loco colligas Oeconomicum a Cicerone in vertendo novis rebus auctum esse, — nam alicubi

[1]) recte Columella vatem suum intellexit (I 3,8): *nos ad cetera praecepta illud adicimus, quod sapiens unus de septem in perpetuum posteritati pronuntiavit, adhibendum modum mensuramque rebus; idque ut non solum aliud acturis, sed et agrum paraturis dictum intellegatur, ne maiorem quam ratio calculorum patiatur, emere velint. nam huc pertinet praeclara nostri poetae sententia: 'laudato ingentia rura, exiguum colito'.*

[2]) Donatus ipse in comm. ad Terent. Phorm. (cf. p. 16) habet: *in Oeconomico*, non: *in Oeconomicis.*

aliorum fontium vestigia adhuc non invenimus, vereor ut cuiquam persuadeas[1]).

Hic locus nobis videtur idoneus esse quo moneamus libro de senectute (§ 59) Ciceronem partem quandam Oeconomici (4,20—25) a se conversam inseruisse, quae tamen mihi videtur ita se habere, ut eam ex libro, quem adulescens confecit, non sumptam, sed iterum et aliis fortasse verbis conversam esse putaverim. ad finem enim nonnullis praetermissis Xenophontis orationem in breve spatium contraxit, ob hanc causam suspicor, quod non omnia Xenophontis suis disputationibus necessaria esse iudicavit. quam rationem eum in partibus occasione data conversis saepius secutum esse facili opera demonstrare licet[2]). itaque quamquam hic locus in ceterarum reliquiarum numerum reponi non potest, nequit tamen silentio praetermitti, quoniam nobis propositum est quaerere Cicero quanam ratione Xenophontis Oeconomicum interpretatus sit. pertinet autem hic locus ad Oeconomicum. quare quae nobis videntur observatione digna esse breviter absolvamus[3]). profitetur Cicero de fin. III 15: *equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere.* itaque παράδεισον (20) appellat *quendam consaeptum agrum diligenter consitum.* cf. Tim. 46: *aliosque in terram* '*alios in reliquas mundi partes, quae sunt spatiorum temporis signa et notae*

[1]) Finem huius partis faciant haec verba Hieronymi, quae inter Ciceronis fragmenta iure sedem habere non possunt (ep. 121,864 cf. Isidor. Hispal. Etymol. IX 4,33; Orelli IV p. 974; Schneiderus, scriptores rei rust. II 2 p. 604. Richter p. 21): *vilicus autem proprie villae gubernator est, unde et a villa vilicus nomen accepit;* οἰκονομικὸς *autem tam pecuniae quam frugum et omnium quae dominus possidet, dispensator est, unde et* οἰκονομικὸς *Xenophontis pulcherrimus liber est, qui non gubernationem villae, sed dispensationem universae domus Tullio interpretante significat.* de quibus quae necessaria sunt mihi Orellius videtur dixisse (IV p. 974): *Tullio interpretante]; i. e. quantum colligi licet ex Xenophontis Oeconomico Latine converso a Tullio. male haec intellexit Schottus, Nod. Cic. 3. 7. p. 349, quasi Tullius ipse inscripserit hunc librum 'universae dispensationem domus'.*

[2]) cf. e. g. Tusc. I 97—99; Plat. Apol. 40 C—42.

[3]) Eodem fere modo atque nos hac de parte etiam Lundströmium iudicare inveni (p. 2). contra Fries, Untersuchungen zu Ciceros Timäus. Mus. Rhen. 54, 1899 p. 577: 'Die Stelle gehört unter die Fragmente der Oeconomica, wird aber von den Herausgebern dort nicht angeführt'.

constitutae, spargens quasi serebat. — (cf. Platon. Tim. 42 D: ἔσπειρεν τοὺς μὲν εἰς γῆν τοὺς δ'εἰς σελήνην τοὺς δ'εἰς τὰ ἄλλα ὅσα ὄργανα χρόνου) haec Xenophontis οὗτος τοίνυν ὁ Κῦρος λέγεται Λυσάνδρῳ . . . . ἄλλα τε φιλοφρονεῖσθαι . . . . (20) Cicero sic reddit: *et ceteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse.* in his porro Xenophontem ad verbum sequi non potuit: ὀσμαὶ δὲ πολλαὶ καὶ ἡδεῖαι συμπαρομαρτοῖεν αὐτοῖς περιπατοῦσι (21). Cicero: *suavitas odorum, qui adflarentur ex floribus.* item infra (25): ἀγαθὸς γὰρ ὢν ἀνὴρ εὐδαιμονεῖς. Cicero: *virtuti tuae fortuna coniuncta est.* deinde mirum in modum pluraliter dicit *proceritates arborum*, id quod inprimis in interpretationibus videtur sibi indulsisse. cf. Tim. 25: *eorum autem trium fecit pares celeritates* (Plat. Tim. 36 D: τάχει δὲ τρεῖς μὲν ὁμοίως). ibid. 29: *quae inter se concursationes habent lucifer, Mercurius, sol.* (Plat. 38 D: ὅθεν καταλαμβάνουσίν τε καὶ καταλαμβάνονται κατὰ ταὐτὰ ὑπ' ἀλλήλων ἥλιός τε καὶ ὁ τοῦ Ἑρμοῦ καὶ ἑωσφόρος). ibid. 31: *quae in octo cursibus celeritates tardidatesque declararet.* (Plat. 39 B πρὸς ἄλληλα βραδυτῆτι καὶ τάχει καὶ τὰ περὶ τὰς ὀκτὼ φορὰς πορεύοιτο). — denique Xenophon multis verbis: δι' ἴσου δὲ τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα καλῶς εἴη (21); quae omnia cum idem fere significent, Cicero in unum contraxit: *et directos in quincuncem ordines;* sed ut locum paululum suppleret, aliud quiddam addidit quod desideratur apud Xenophontem: *et humum subactam atque puram*[1]).

Pars II.

Ab his transitus patet ad Columellam illum rei rusticae scriptorem, qui maiorem partem reliquiarum servavit neque tamen ita tradidit ut testes, quos paulo ante audivimus, qui cum in Ciceronis loquendi consuetudinem inquirant, locos accurate afferre neque

[1]) cf. Columella VI praef. 1: *cum ille quam maxime subacto et puro solo gaudeat.* — quamquam apud Ciceronem illa verba addita esse videmus, tamen non iure hoc amplificationis signum esse dixeris. nam primum, ut diximus, locum ad exemplaris longitudinem accomodari necesse erat, deinde licet etiam adulescens Cicero Oeconomicum amplificaverit, tamen in libro de senectute nihil aliud agit nisi ut Cyri verba de perpetiendis laboribus suis civibus tradat.

quidquam aut addere aut omittere aut mutare student. Columellam contra, cui rebus tantum ad libros suos conscribendos opus erat, non eadem diligentia verba Ciceronis exscripsisse, ne talibus quidem locis, ubi partes continuas affert neque fuit, quod eum verba mutare cogeret, a viris doctis iam dudum observatum est. nam Baiterus in editione fragmentorum (XI p. 53) ad reliquias a Columella traditas adnotat haec: *Columellam non ipsum Xenophontem, sed Ciceronem interpretem secutum esse ita, ut passim et ordinem sententiarum immutaret et Tullianis verbis sua substitueret consentaneum est.* eodem fere modo Orellius IV p. 974, qui nonnulla enumerat vocabula, quae a Cicerone originem ducere nequeant, sed a Columella posita sint. quorum maiorem numerum affert Friesius (Untersuchungen zu Ciceros Timaeus, Mus. Rhen. 54, 1899 p. 572, ibid. 55, 1900 p. 51/2), quem tamen paene in omnibus, quae his de rebus profert, errasse cum Atzertius demonstravit (p. 12) tum ex nostro hoc opusculo apparebit. in hoc vero Friesius recte fecit, quod exemplis collectis Columellam in afferendis aliorum scriptorum verbis saepe licentia egisse ostendit[1]). sed quod hunc Columellae a fontibus suis dissensum sic explicandum esse dicit, ut eum omnes locos e memoria attulisse censeat[2]), ego contra Columellam scriptores ante oculos quidem habuisse, sed eorum verba de industria immutasse credere malim, in quo etiam Lundströmium mecum facere inveni (p. 7). quamquam inter exempla a Friesio allata locos Varronianos non ex ipso Varrone, sed e medio quodam fonte a Columella petitos esse et ideo ad rem nihil pertinere verisimile est[3]), manet tamen locus ille praeclarus oratoris Ciceroniani, quem Columella ex ipso fonte hausisse videtur quemque tali modo reddit[4]):

---

[1]) Mus. Rhen. 55, 1900 p. 52/3.

[2]) ibid. 53/4.

[3]) cf. Ernst Weiß, de Columella et Varrone rerum rusticarum scriptoribus. Vratislaviae 1911, diss. ad Varr. r. r. III 3,9 (Col. VIII 16,4) cf. p. 40; ad Varr. II praef. 3 (Col. I praef. 15) cf. p. 20; ad Varr. II 5,3 (Col. VI praef. 7) cf. p. 34/5. — his exemplis Lundströmius p. 11 addit Varr. II praef. 3 (Col. I praef. 20); at cf. Weiß p. 20.

[4]) Cum Friesius utriusque loci minorem tantum partem exscripserit, Lundströmius Columellam ostendit Ciceronem per spatium multo amplius secutum esse (p. 9–11), id quod ante eum ipse non observavi.

Cic. orat. 3—5

3) in quo vereor ne, si id, quod vis, effecero eumque oratorem, quem quaeris, expressero, tardem studia multorum, qui desperatione debilitati experiri id nolent, quod se assequi posse diffidant.

4) sed par est omnis omnia experiri, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt.

quodsi quem aut natura sua aut illa praestantis ingenii vis forte deficiet aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum, quem poterit; prima enim sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere.

nam in poetis non Homero soli locus est, ut de Graecis loquar, aut Archilocho aut Sophocli aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos.

5) nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo

Col., I praef. 28—31

28) post hanc tam multarum tamque multiplicium rerum praedicationem non me praeterit, si, quem desideramus agricolam quemque describimus, exegero a participibus agrestium operum, tardatum iri studia discentium, qui tam variae tamque vastae scientiae desperatione conterriti, nolent experiri, quod se consequi posse diffident.

29) verumtamen (quod in oratore iam M. Tullius rectissime dixit) par est eos, qui generi humano res utilissimas conquirere et perpensas exploratasque memoriae tradere concupiverint, cuncta temptare. nec si vel illa praestantis ingenii vis vel inclutarum artium defecerit instrumentum, confestim debemus ad otium et inertiam devolvi, sed quod sapienter speraverimus perseveranter consectari; summum enim culmen affectantes satis honeste vel in secundo fastigio conspiciemur.

30) nam Latiae musae non solos adytis suis Accium vel Vergilium recepere, sed eorum et proximis et procul a secundis sacras concessere sedes.

nec Brutum aut Caelium Pollionemque cum Messala et Calvo

amplitudo Platonis, nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit. nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt,	deterruere ab eloquentiae studio fulmina illa Ciceronis. nam neque ipse Cicero territus cesserat tonantibus Demostheni Platonique; nec parens eloquentiae deus ille Maeonius vastissimis fluminibus facundiae suae posteritatis studia restinxerat.
sed ne opifices quidem se ab artibus suis removerunt, qui aut Ialysi, quem Rhodi vidimus, non potuerunt aut Coae Veneris pulchritudinem imitari, nec simulacro Iovis Olympii aut doryphori statua deterriti reliqui minus experti sunt quid efficere aut quo progredi possent;	31) ac ne minoris quidem famae opifices per tot iam saecula videmus laborem suum destituisse, qui Protogenem Apellemque cum Parrhasio mirati sunt. nec pulchritudine Iovis Olympii Minervaeque Phidiacae sequentis aetatis attonitos piguit experiri Bryaxim, Lysippum, Praxitelem, Polycletum, quid efficere aut quousque progredi possent.
quorum tanta multitudo fuit, tanta in suo cuiusque genere laus, ut cum summa miraremur, inferiora tamen probaremus.	sed in omni genere scientiae et summis admiratio veneratioque et inferioribus merita laus contigit.

Utroque loco perlecto alteroque cum altero collato Columellam in mutuandis verbis Ciceronis rationem quandam secutum esse dixeris: quam fusius describens Lundströmius tribus partibus observationes suas exponit (p. 10), quas ex eius opusculo repetimus:

I. Columella non modo rerum, verum etiam sententiarum ordinem plerumque retinuit; nonnunquam etiam coniunctiones, pronomina relativa, particulas interrogativas a Cicerone positas servavit; non ita saepe sententiarum copulationem delevit, quam verborum ordinem immutavit.

II. In maiorem partem etiam voces a Cicerone positas servavit ita tamen ut vel tempora, numeros, modos (tardatum iri studia

— tardem studia; diffidant — diffident; concupiverunt — concupiverint; deterruit — deterruere; restinxit — restinxerat) vel praepositiones mutaret (assequi — consequi; deterritus — territi) vel etiam nova induceret vocabula, quae ab eadem radice derivantur (instructus-instrumentum; summa miraremur — summis admiratio).

III. Denique haud raro Columella pro vocibus a Cicerone usurpatis synonyma supposuit ita ut loco daret quendam colorem a Ciceronis oratione diversam.

Quibus addendum puto Columellam plerumque plura exhibere quam Ciceronem, cuius orationem amplificat atque extendit. — sed quoniam tali modo eum cum scriptoribus suis egisse vidimus, vereor ne quis dicat laborem nimis difficilem a nobis esse susceptum, qui quaerere nobis proposuimus, qua ratione Cicero Xenophontis Oeconomicum interpretatus sit. nam si ea, quae leguntur, non Ciceronis, sed Columellae sunt, quomodo interpretationis rationem agnocas? recte hoc in universum quidem: attamen si Columella multa mutavit, multa etiam, ut nostra quidem fert opinio, intacta reliquit; tum etiam si multis locis hoc non licet cognoscere, qua ratione Cicero Xenophontem verterit, tamen nescio an vel hoc operae pretium sit ostendisse, quomodo Columella Tullium immutaverit: nam si nobis Ciceronis verba a verbis Columellae ita secernere continget, ut ea quae vel supervacant vel ab exemplari Graeco nimis recedunt, Columellae tribuamus, multum spero nos ad hanc quaestionem solvendam conferre posse, utrum Cicero Xenophontis Oeconomicum amplificaverit an interpretatus sit. in hoc vero Lundströmium maiorem laboris partem nobis reliquisse supra iam diximus (p. 1); nam cum id tantum demonstrare velit Ciceronem ad librum suum conscribendum praeter Xenophontis Oeconomicum alios fontes non adhibuisse, eos locos, quibus Columella cum Xenophonte in universum consentit, paucis absolvit, cum nos etiam singula et verba et sententias penitus examinaverimus, utrum a Cicerone an a Columella scripta sint. praeterea Lundströmius exemplis allatis opinionem suam confirmare omisit.

Sed iam ad singula transeamus.

Columella XII praef. 1: *Xenophon Atheniensis eo libro, P. Silvine, qui Oeconomicus inscribitur, prodidit maritale coniugium sic comparatum esse natura, ut non solum iucundissima,*

verum etiam utilissima vitae societas iniretur. cf. Xen. VII 18: ἐμοὶ γάρ τοι, ἔφη φάναι, καὶ οἱ θεοί, ὦ γύναι, δοκοῦσι πολὺ διεσκεμμένως μάλιστα τὸ ζεῦγος τοῦτο συντεθεικέναι, ὃ καλεῖται θῆλυ καὶ ἄρρεν, ὅπως ὅτι ὠφελιμώτατον ᾖ αὑτῷ εἰς τὴν κοινωνίαν. Columella igitur a medio enuntiato profectus Ciceronis verba suis ipsius adiungit: *Xenophon . . . prodidit maritale coniugium . . .* iam vero dubitatio oritur de vocabulo *maritalis*, quod neque apud Ciceronem neque apud Columellam exstat; legitur primum apud Ovidium, deinde saepenumero apud posteros, quapropter Columellae tribuendum erit; sed Cicero si hoc non posuit, certe aliquo modo circumscripsisse putandus est, quod Xenophon dicit: τὸ ζεῦγος ὃ καλεῖται θῆλυ καὶ ἄρρεν, sicut etiam supra haec Xenophontis eum ad verbum non interpretatum esse vidimus (6,12; supra p. 13): τὸ ὄνομα ὃ καλεῖται καλός τε κἀγαθὸς ἀνήρ (*homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur frg. 3*). quae sequuntur deinde dicta de coniugio atque vitae societate, haec omnia dictionis Ciceronianae speciem prae se ferunt. nam cf. de fin. IV 17: *coniugia virorum et uxorum natura coniuncta esse*; de off. I 54: *prima societas in ipso coniugio est*; Tusc. V 5: *tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum et vocum communione iunxisti.* — denique pro verbis: ὅπως ὅτι ὠφελιμώτατον ᾖ αὑτῷ εἰς τὴν κοινωνίαν, quae in Latinum integra vix transferri possunt, sententiam supposuit in sua lingua usitatissimam: *ut utilissima vitae societas iniretur.* cf. de off. I 158: *propter necessitatem vitae . . . initam esse cum hominibus communitatem et societatem.* — iam vero societas illa non modo utilissima vocatur (ut est apud Xenophontem: ὠφελιμώτατον), verum etiam iucundissima: quod utrum Cicero an Columella addiderit haud facile dixerim.

Columella nunc demum se ea quae profert a Cicerone petiisse profitetur: *nam primum, quod etiam Cicero ait . . .*[1])

7,19	§ 1:
πρῶτον μὲν γὰρ τοῦ μὴ ἐκλιπεῖν ζῴων γένη τοῦτο τὸ ζεῦγος	nam primum[2]), quod etiam Cicero ait, ne genus humanum

[1]) cf. I praef. 28/9, quem locum supra attulimus p. 20 et 21.

[2]) sic Schneiderus; optimos codices SA praebere 'iam pridenī' (= iam pridem

κεῖται μετ' ἀλλήλων τεκνοποιούμενον.

temporis longinquitate occideret, propter hoc marem cum femina esse coniunctum.

Xenophon in universum locutus totius animalium generis mentionem facit, Columella specialiter: *genus humanum*. sic locum ab ipso Cicerone formatum esse puto, quoniam ea quae sequuntur dicta de tectis habitandis ad hominum tantum, non ad omnium animalium vitam pertinent. — verba *temporis longinquitate*, explicationis causa addita, sine dubio ad ipsum Ciceronem redeunt, quem addidisse supra vidimus: *adfecta iam prope aestate* (fr. 15 cf. p. 11). cf. de inv. I 39: *et item communiter in tempore perspiciendo longinquitas eius est consideranda*; de div. I 2: *eandem autem etiam Aegypti longinquitate temporum innumerabilibus paene saeculis consecuti putantur*. ibid. I 12: *nihil est autem, quod non longinquitas temporum . . . assequi possit*. Aratea 476: *haec faciunt magnos longinqui temporis annos*[1]. — contra verba *propter hoc* Columellae elocutionem redolent, qui habet in deliciis praepositionem *propter* cum pronominibus demonstrativis coniungere. (lib. de arb. 8,3 *propter hoc*; I 9,3 *propter id*; I 6,18 *propter quod*). — denique ad finem huius sententiae Cicero Xenophontem ad verbum sequi non conatus, sed sensum recte reddidisse contentus nihil aliud dicit nisi haec: *marem cum femina esse coniunctum*. nam haec Ciceronis esse verisimile fit illo loco, quem supra attulimus iterum inspecto (de fin. IV 17): *coniugia virorum et uxorum natura coniuncta esse*. cf. etiam de senect. 59: *virtuti tuae fortuna coniuncta est* (Xenophon 4,25: ἀγαθὸς γὰρ ὢν ἀνὴρ εὐδαιμονεῖς).

7,19 — § 1:

ἔπειτα τὸ γηροβοσκοὺς κεκτῆσθαι ἑαυτοῖς ἐκ τούτου τοῦ ζεύ-

deinde ut ex hac eadem societate mortalibus adiutoria senec-

enim) testatur Lundströmius (p. 17), qui codices contulit atque Columellam iterum edendum curat. attamen haec mihi lectio adeo non placet, ut facere non possim quin *iam pridem enim* corrupta esse ex *nam primum* credam, quamquam Lundströmius alteram lectionem loco melius quadrare censet. non enim Xenophon maritale coniugium ab antiquissimis temporibus coniunctum esse dicit (iam pridem), sed primum ideo coniunctum esse ne genus humanum occideret, deinde ut sibi propugnacula senectutis praepararet (cf. ea quae sequuntur)

[1]) Lundströmium igitur haud recte verba 'temporis longinquitate' ut Columelliana seclusisse puto (p. 17).

γους τοῖς γοῦν ἀνθρώποις πορίζεται.	tutis nec minus propugnacula praepararentur.

Hac ex parte de interpretationis genere non multum discimus, cum Ciceronis oratio pluribus locis verbis Columellae obscurata sit. nam primum vocabulum *adiutoria*, quod legitur apud Senecam, Quintilianum, Valerium Maximum, singulariter semel apud ipsum Columellam (VI praef. 3), multo post Ciceronis tempora inventum est[1]), quem ipsum aut *adiutores* aut *adiumenta* posuisse magna cum specie veritatis evincere licet ex libris de inventione, qui eodem fere tempore quo Oeconomicus conscripti sunt. II 24: *facultas, si ratio, adiutores, adiumenta, ceteraque quae ad rem pertinent, defuisse alicui demonstrabuntur.* ibid. II 44: *nam saepe, si pecuniae, adiumenta, adiutores desint, facultas fuisse faciendi non videtur.* — deinde particulis *nec minus* Columella adeo delectatur, ut eas pro simplici coniunctione *et* frequentissime posuerit, cuius consuetudinis exempla afferre, ne multi simus, supersedemus. hoc vero in dubio relinquendum erit, utrum Cicero γηροβοσκεῖν illud duobus vocabulis reddere voluerit *(adiutores, propugnacula)*, an alterum a Columella additum sit. denique Cicero, nisi poeticum colorem affectat, verbum *mortales* vitare solet, quod tamen apud posteriores in omni genere pedestris orationis occurrit. sic etiam Columella multis locis (III 1,3; III 21,3; IX 9,1; XII 59,5; lib. de arb. 1,1). quin etiam tamquam equi non sint mortales: *quod equinae cupidini similem mortalibus amorem accendit* (VI 27,3). at cf. Cic. de inv. I 35 *mortalium autem pars in hominum, pars in bestiarum genere numerantur.*

7,19	§ 2
ἔπειτα δὲ καὶ ἡ δίαιτα τοῖς ἀνθρώποις οὐχ ὥσπερ τοῖς κτήνεσίν ἐστιν ἐν ὑπαίθρῳ, ἀλλὰ στεγῶν δεῖται δῆλον ὅτι	tum etiam, cum victus et cultus humanus non uti feris in propatulo ac silvestribus locis, sed domi sub tecto accurandus erat

Victus et cultus sine dubio ab ipso Cicerone profecta sunt, apud quem duo illa paene omnibus locis coniuncta reperiuntur. cf. de off. I 106: *victus cultusque corporis ad valetudinem referatur et ad vires, non ad voluptatem.* de off. I 12: *quae suppeditent ad cultum et ad victum.* de re publ. II 10: *res ad victum cul-*

[1]) cf. Fries, Mus. Rhen. 55, 1900 p. 51.

tumque maxime necessarias. de off. II 86: *sed valetudo sustentatur . . continentia in victu omni atque cultu.* item ep. IX 3,1; Tusc. V 72; de div. II 119; ibid. I 61; de off. II 15. — de substantivo *in propatulo*, quod neque apud Ciceronem neque apud Columellam occurrit, mihi non satis constat utri conveniat. legitur primum apud Livium, tum etiam apud Plinium et Valerium Maximum.' — sed nisi omnia me fallunt, verba *ac silvestribus locis* a Columella suppleta sunt, qui cum rerum rusticarum scriptor sit, regionum qualitates similibus verbis frequentissime describit. cf. VII 6,1: *asperisque etiam locis ac silvestribus*; II 8,3: *locis uliginosis atque exilibus*; II 9,7: *locis praegelidis ac nivosis*; II 9,8: *locis calentibus;* II 9,13: *locis manantibus;* II 9,16: *quam pinguissimis sed frigidis locis.* — *accurare* vox comica est, quam Cicero etsi adulta aetate vitabat, iuvenis tamen in libris de inventione (I 58) semel posuit: *melius accurantur, quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur* [1]).

7,20

δεῖ μέν τοι τοῖς μέλλουσιν ἀνθρώποις ἕξειν ὅ τι εἰσφέρωσιν εἰς τὸ στεγνὸν τοῦ ἐργασομένου τὰς ἐν τῷ ὑπαίθρῳ ἐργασίας. καὶ γὰρ νεατὸς καὶ σπόρος καὶ φυτεία καὶ νομαὶ ὑπαίθρια ταῦτα πάντα ἔργα ἐστίν. ἐκ τούτων δὲ τὰ ἐπιτήδεια γίγνεται.

§ 2

. . . necessarium fuit alterutrum [2]) foris et sub dio esse, qui labore et industria compararet, quae tectis reconderentur; siquidem vel rusticari vel navigare vel etiam genere alio negotiari necesse erat, ut aliquas facultates acquireremus.

Haec ab exemplari Graeco in multis recedunt. verborum ordinem ab ipso Cicerone immutatum esse confido ideo ut vitaret participium praesentis pro ἐργασομένου. non enim video quomodo ad verbum verteret: δεῖ μέντοι τοῖς μέλλουσι ἀνθρώποις ἕξειν ὅτι εἰσφέρωσιν εἰς τὸ στεγνὸν τοῦ ἐργασομένου τὰς ἐν τῷ ὑπαίθρῳ ἐργασίας.

[1]) Haud recte igitur Friesius (Mus. Rhen. 55/1900 p. 51) et Orellius IV p. 974 vocabulum *accurare* afferunt inter ea verba, quae a Cicerone posita non sint, quamquam hanc esse vocem comicam ipse Friesius recte statuit in Mus. Rhen. 54/1899 p. 571.

[2]) Fries. Mus Rhen. 55/1900 p. 51: Unciceronische Verbindungen finden sich häufig. z. B. *alterutrum* statt *alterum utrum*, das Cicero stets anwendet. at cf. de inv. I 76: *sed tum ab adsumptione incipere, tum approbatione alterutra.* ibid. II 18: *nam in horum genus alterutrum illa quoque incident.*

habet deinde in deliciis more oratorio *labori* adiungere *industriam*, quorum utroque idem fere significatur. (cf. pro Caelio 12; Verr. V 129; de orat. I 95; Brut. 233; 237; 240; 247; 318). — sed ea quae sequuntur cum Graeco fonte adeo non consentiunt, ut si haec Columellae tribuere nobis non contingat, Ciceronem ad rem a Xenophonte praebitam nonnulla addidisse tuo iure dicas. nam apud Xenophontem nihil est de navigando, nihil de genere alio negotiando; quae genera agriculturae enumerat (νεατός, σπόρος, φυτεία, νομαί), haec omnia apud Columellam uno verbo *rusticari* comprehenduntur[1]. sed velim observes particulam *siquidem* hoc loco secundum Columellae consuetudinem positam esse pro coniunctione causali sicut etiam his locis: III 10,4: *non debet igitur ultimum flagellum quasi fecundum observari, etiam si plurimum afferat; siquidem loci ubertate in fructum cogitur.* IV 21,2: *nam loci laetitia plures, exilitas pauciores desiderat. siquidem luxuriosa vitis nisi fructu compescitur, male deflorescit.* IV 22,5: *sed haec quidem ratio minime nobis placet. siquidem vastior plaga nisi habeat suppositam materiam* . . . item IV 27,4; VII 3,24; VII 4,1 VII 5,16, quibus exemplis facile addi possunt plura. sane hac eadem significatione vocabuli *siquidem* etiam Cicero usus est (cf. Brut. 40, 41, 204); neque vero hi loci multum valent contra illorum multitudinem[2]. — praeterea *recondere* inter ea verba est, quae Columella frequentare solet. quare quoniam primae sententiae ultimum et alterius primum vocabulum Columellae esse vidimus, non dubito quin totum locum mutilaverit. sed rursus Ciceroni assigno: *facultates*, quia hoc plane id est, quod Xenophon dicit: τὰ ἐπιτήδεια. cf. de inv. I 41: *facultates sunt aut quibus facilius aliquid fit aut sine quibus*

[1]) Quare miror quod Lundströmius dicit (p. 20) his in paragraphis tantam esse Columellae cum Xenophonte consensum, ut Ciceronis verba paene integra servari videantur.

[2]) Quotiens vocabulum *siquidem* locis a Cicerone conversis occurrit, plerumque in ipso exemplari coniunctio quaedam condicionalis exstat. cf. Tim. 12 *rectene igitur unum mundum diximus an fuit plures aut innumerabiles dictu melius et verius? unus profecto, siquidem factus est ad exemplum.* (Plat. 31 A: πότερον οὖν ὀρθῶς ἕνα οὐρανὸν προσειρήκαμεν ἢ πολλοὺς καὶ ἀπείρους λέγειν ἦν ὀρθότερον; ἕνα, εἴπερ κατὰ τὸ παράδειγμα δεδημιουργημένος ἔσται). Tusc. I 54: *nam principium exstinctum nec ipsum ab alio renascitur nec ex se aliud creabit, siquidem necesse est a principio oriri omnia.* (Plat. Phaedr. 245 D: ἀρχῆς γὰρ δὴ ἀπολουμένης οὔτε αὐτή ποτε ἔκ του οὔτε ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται, εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι).

omnino confici non potest. ibid II. 115: *facultates autem considerantur, cum aliquod pecuniarium praemium postulatur.* item paulo inferius: *facultates augere, non minuere oportere.* pro P. Quinctio 2: *P. Quinctius, cui tenues opes, nullae facultates, exiguae amicorum copiae sunt.* — denique ut supra pro uno illo Xenophontis ἐν τῷ ὑπαίθρῳ duas res successisse vidimus (in propatulo ac silvestribus locis), sic etiam hoc loco Columella *foris et sub dio* habet; quae utrum ad Ciceronem an ad Columellam redeant, nullo modo explorari posse censeo; neque vero silentio praetermitti debet figuram *sub dio* frequentari ab Columella, apud Ciceronem autem semel tantum inveniri (Verr. I 51).

7,21	§ 3
δεῖ δ' αὖ, ἐπειδὰν ταῦτα εἰσενεχθῇ εἰς τὸ στεγνόν, καὶ τοῦ σώσοντος ταῦτα καὶ τοῦ ἐργασομένου δ', ἃ τῶν στεγνῶν ἔργα δεόμενά ἐστιν	cum vero paratae res sub tectum essent congestae, alium esse oportuit, qui et illatas[1]) custodiret et ea conficeret opera, quae domi deberent administrari.

Quibus verbis vix habeo quod addam, sed quod in altera paragrapho tractanda supra monuimus, hoc loco confirmatur: participia τοῦ σώσοντος et τοῦ ἐργασομένου vitandi causa verborum ordinem immutatum esse videmus, ceterum facile fieri potest, ut Columella in his quoque Ciceronis oratione deleta sua verba intulerit; sed quoniam verba talia sunt, qualia ab utroque usurpari solent, hac de re aliquid certi statuere vix continget.

7,21	§ 3
στεγνῶν δὲ δεῖται καὶ ἡ τῶν νεογνῶν τέκνων παιδοτροφία, στεγνῶν δὲ καὶ αἱ ἐκ τοῦ καρποῦ σιτοποιίαι δέονται. ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ τῆς ἐσθῆτος ἐκ τῶν ἐρίων ἐργασία	nam et fruges ceteraque alimenta terrestria indigebant tecti et ovium ceterarumque pecudum fetus atque fructus clauso custodiendi erant, nec minus reliqua utensilia, quibus aut alitur hominum genus aut etiam[2]) excolitur.

[1]) Fries. Mus. Rhen. 55/1900 p. 51: *inferre* findet sich bei Cicero nicht absolut gebraucht. nisi fallor, Friesius desiderari censet *domum* aut quid tale. si hoc est in quo offendit, non recte observavit Ciceronis loquendi consuetudinem. nam cf. de inv. I 73: *hoc si nolis inferre et inferas id, quod sequitur.* — —

[2]) *Etiam* omisit Lundströmius vel mendo calami vel codicum auctoritatem secutus.

In his Columella omnibus perturbatis paene nihil intactum reliquit. nam primum, cum de rebus rusticis scribat, pro liberorum educatione (παιδοτροφία) pecoris curam substituit: *et ovium ceterarumque pecudum fetus clauso custodiendi erant.* neque enim haec Columellae esse negabis, cum hos locos perlegeris[1]): II 10,31: *ea bubus ceterisque pecudibus optime desecta praebetur.* V 12,4: *bubus pondo vicena ceterisque pecoribus pro portione virium.* VII 4,1: *nam cum sit universum genus lanigerum ceteris pecudibus mollius.* VII 11,3: *de armentis ceterisque pecudibus . . . satis accurate disserui.* atque ei loco, de quo agimus, simillima sunt haec: *his etiam diebus maturi agni et reliqui fetus pecudum, nec minus maiora quadrupedia charactere signari debent.* (XI 2,14). — deinde vocabula *clausum* et *utensilia*[2]), a Columella frequentata, etsi iam apud Varronem occurrunt, Ciceroni tamen plane ignota sunt. — quae sequuntur *nec minus reliqua utensilia, quibus aut alitur hominum genus aut etiam excolitur* paene nihil cum exemplari commune habent; sed monendum est incipere sententiam particulis illis a Columella frequentatis *nec minus.* — denique *excolere* Cicero de animis tantum, non de corporibus dicit. cf. Tusc. IV 84: *demus igitur nos huic (philosophiae) excolendos.* orator 48: *quae (ingenia) disciplinis exculta sunt.* at cf. Columella II 2,17: *itaque considerandum erit, ut solum, quod excolere destinamus, pingue sit.* IV 3,2: *ac ne ista, Silvine, miremur, liberos suos nonnulli nuptiis votisque quaesitos avare nutriunt, nec disciplinis aut ceteris corporis excolunt instrumentis.*

7,22	§ 4
ἐπεὶ δὲ ἀμφότερα ταῦτα καὶ ἔργων καὶ ἐπιμελείας δεῖται τά τε ἔνδον καὶ τὰ ἔξω	quare cum et operam et diligentiam ea quae proposuimus, desiderarent nec exigua cura foris acquirerentur, quae domi custodiri oporteret

Nescio an verba *opera* et *diligentia* orationis Ciceronianae reliquiae sint, quoniam *opera* id est, quod Xenophon ἔργα et item verbo *diligentia* hoc fere significatur, quod ἐπιμέλειαν dicit. sed in

[1]) Columellam haec immutasse etiam Lundströmio probatur.

[2]) cf. Fries. Mus. Rhen. 55/1900 p. 51.

ceteris Columella nonnulla mutavit. verba *ea quae proposuimus* Columellae tribuere malim quam Ciceroni. nam cf. lib. de arb. 7,1: *et quoniam genera proposuimus;* ibid. 9,2: *sic uvae nascentur, quales proposuimus.* III 4,3: *igitur unumquodque eorum quae proposui, suo iam persequar ordine.* III 19,3: *prius disseremus de eo, quod primum proposuimus.* III 20,4: *de altero, quod mox proposueram, nihil dubito.* III 21,1: *illa tamen una mihi ratio suppetit celerrime quod proposuimus efficiendi.* — non ita saepe Cicero; cf. de inv. I 63: *quod si ita est, ex hoc et ex eo, quod proposueramus, conficitur, separatum esse quiddam a propositione approbationem.* de nat. deor. I 98: *his enim omnibus, quae proposui, adiunctis* . . .[1]) — praeterea verba: *nec exigua cura* Columellae sunt. nam ut eum simplici coniunctioni *et* negationem *nec minus* praeferre vidimus, sic etiam multis locis maluit *non exiguus* ponere quam *magnus*. cf. II 1,4: *non ergo est exiguarum frugum causa terrae vetustas.* III 21,9: *illam quoque non exiguam sequitur utilitatem.* III 3,2: *nam de arbusto etiam inter auctores non exigua pugna fuit.* IV 17,1: *quamvis exiguis dentibus non exiguam pestem molitur.*

7,22	§ 4
καὶ τὴν φύσιν, φάναι, εὐθὺς παρεσκεύασεν ὁ θεός, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, τὴν μὲν τῆς γυναικὸς ἐπὶ τὰ ἔνδον ἔργα καὶ ἐπιμελήματα, ⟨τὴν δὲ τοῦ ἀνδρὸς ἐπὶ τὰ ἔξω⟩	iure, ut dixi, natura comparata est mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forensem et extraneam[2])

Sic Xenophon, apud quem Socrates Ischomachum narrantem facit: καὶ τὴν φύσιν, φάναι, εὐθὺς παρεσκεύασεν. Columella autem hac forma deleta ipse loquitur: *iure, ut dixi.* cf. I praef. 10: *quae si et ipsa et eorum similia bonis fugienda sunt: superest, ut dixi, unum genus liberale et ingenuum.* item XII 20,6; XII 46,2[3]). —

[1]) Fries. Mus. Rhen. 55/1900 p. 51: auffallend ist auch: *ea quae proposuimus* statt *diximus*.

[2]) Fries. Mus. Rhen. 55, 1900 p. 51: 'Der nur durch Columella erhaltene Text der Fragmente wimmelt von spätlateinischen Worten wie . . . '*extraneus*'. at cf. Cic. de inv. I. 32; Rabir. 33; de or. 46.

[3]) Recte monet Lundströmius Ciceronem hac in parte exemplari Graeco arte se applicasse ex eo apparere, quod apud Columellam etiam φάναι servatum sit (p. 20);

verba τὴν δὲ τοῦ ἀνδρὸς ἐπὶ τὰ ἔξω in codicibus non exstant, sed addita sunt a Stephano. etsi hac de re dubitari non potest, quin apud Xenophontem pauca interciderint, ignoratur tamen quidnam scripserit; quapropter num verbis *ad exercitationem forensem et extraneam* Xenophontis verba recte expressa sint non satis constat. sane: *exercitatio forensis* sententia est in Ciceronis libris usitatissima (cf. de orat. II 139); attamen ex eis quae infra sequuntur, hunc locum a Columella originem ducere colligo. dicit enim § 7: *nam et apud Graecos et mox apud Romanos usque in patrum nostrorum memoriam fere domesticus labor matronalis fuit, tamquam ad requiem forensium exercitationum omni cura deposita patribus familias intra domesticos penates se recipientibus.*

7,23	§ 4
ῥίγη μὲν γὰρ καὶ θάλπη καὶ ὁδοιπορίας καὶ στρατείας τοῦ ἀνδρὸς τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν μᾶλλον δύνασθαι καρτερεῖν κατεσκεύασεν. ὥστε τὰ ἔξω ἐπέταξεν αὐτῷ ἔργα	itaque viro calores et frigora perpetienda, tum etiam itinera et labores pacis et belli, id est rusticationis et militarium stipendiorum deus tribuit

Xenophon nihil aliud habet nisi ὁδοιπορίας καὶ στρατείας, quae videmus apud Columellam longe amplificata esse: *tum etiam itinera et labores pacis et belli, id est rusticationis et militarium stipendiorum deus tribuit.* ut incipiamus a vocabulo *rusticatio*, hoc agricolationem significat, siquidem Columellae consuetudinem sequimur[1]); nam est apud Ciceronem ruri mora[2]). hoc igitur apparet rusticationem a Columella, qui agricolis praecipit, ad belli labores additam esse. hoc si recte statuimus, Columella etiam haec posuit quae legimus: *id est rusticationis et militarium stipendiorum.* ceterum si meam opinionem proferre licet, hoc mihi videtur constare Ciceronem sive *labores* tantum sive etiam *belli labores* scripsit, certe labores una cum itineribus nominasse, ita ut *itinera et labores* spec-

sed quod formam *dixi* iam a Cicerone positam esse censet, qui Xenophontem perperam intellexerit, mihi falso videtur iudicare.

[1]) Praeter hunc locum cf. I praef. 33; I 1,6; I 1,13; I 8,14; XI 1,2.

[2]) Semel tantum occurrit (Laelius 103): *peregrinationes rusticationesque communes.*

tent ad ὁδοιπορίας, *militaria stipendia*[1]) ad στρατείας. cf. Verr. V 128: *tantum exacta aetate laboris itinerisque suscepit.* ibid. V 27: *dabat se labori atque itineribus.*

7,23	§ 5
τῇ δὲ γυναικὶ ἧττον τὸ σῶμα δυνατὸν πρὸς ταῦτα φύσας τὰ ἔνδον ἔργα αὐτῇ φάναι ἔφη προστάξαι μοι δοκεῖ ὁ θεός	mulieri deinceps, quod omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domestica negotia curanda[2]) tradidit

Vocabulum *inhabilis* (Col. II 1,2; III 10,15; VI 1,1) in Ciceronis libris nusquam occurrit[3]); sed ne Xenophon quidem mulierem extraneis rebus inhabilem, sed tantum minus aptam esse dicit: ἧττον τὸ σῶμα πρὸς ταῦτα φύσας.

Haec Xenophontis in interpretatione Latina desiderantur (§ 24): εἰδὼς δὲ ὅτι τῇ γυναικὶ καὶ ἐνέφυσε καὶ προσέταξε τὴν τῶν νεογνῶν τέκνων τροφήν, καὶ τοῦ στέργειν τὰ νεογνὰ βρέφη πλέον αὐτῇ ἐδάσατο ἢ τῷ ἀνδρί, quem locum Columellam in afferendo, non Ciceronem in interpretando omisisse vel ob hanc causam verisimile est, quod agitur de liberis educandis, pro qua re supra eum pecoris curationem supposuisse vidimus (§ 3).

7,25	§ 5
ἐπεὶ δὲ καὶ τὸ φυλάττειν τὰ εἰσενεχθέντα τῇ γυναικὶ προσέταξε,	et quoniam hunc sexum custodiae et diligentiae assignaverat,
γιγνώσκων ὁ θεὸς ὅτι πρὸς τὸ φυλάττειν οὐ κάκιόν ἐστι φοβερὰν εἶναι τὴν ψυχήν, πλέον μέρος καὶ τοῦ φόβου ἐδάσατο τῇ γυναικὶ ἢ τῷ ἀνδρί	idcirco timidiorem reddidit quam virilem
	§ 6
	nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi.

[1]) Num ipsa haec sententia Ciceronis sit non satis constat. cf. Fries. Mus. Rhen. 55, 1900 p. 51: Auffallend ist auch . . . *militaria stipendia*.

[2]) Fries. ibid. p. 52: ‘Cicero sagt einmal *negotia procurare* (II 3,64), aber nie *negotia curare*.‘ — at cf. Top. 66: *qui negotia aliena curasset.*

[3]) cf. Fries. Mus. Rhen. 55. 1900 p. 51.

Vocabulum *sexus* semel tantum apud Ciceronem occurrit: sed quamquam exstat in libris de inventione (I 35), qui uno fere tempore cum Oeconomico compositi sunt, tamen tota sententia Columellae dictionem redolet. cf. VI 24,3: *certis signis comprehendere licet, quem sexum generaverit.* II 1,2: *sicut muliebrem sexum aetate anili iam confectum, progenerandis esse fetibus inhabilem.* cf. etiam VIII 8,1: *quoniam vel summis turribus vel editissimis aedificiis assignatas sedes frequentant.* I 8,5: *sed qualicunque vilico contubernalis mulier assignanda est.* de voce assignandi cf. praeterea: V 6,15; IX 9,2. — videmus deinde commutatum esse sententiarum ordinem; nam quae finem faciunt apud Columellam: *nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi,* ad ea referenda sunt, quae apud Xenophontem praecedunt: γιγνώσκων ὁ θεὸς ὅτι πρὸς τὸ φυλάττειν οὐ κάκιόν ἐστι φοβερὰν εἶναι τὴν ψυχήν. cuius mutationis auctorem Columellam esse suspicor, quoniam hoc ex loco eum quasi loquentem audire licet. cf. XII 46,7: *nam ea res plurimum ad perennitatem confert.* XII 52, 5: *nam utraque usibus plurimis idonea est* XII 55, 1: *nam ea res minus vitiosam et magis durabilem salsuram facit.* XII 15,1: *nam utraque res praedictum fructum corrumpit.* XII 23,3 *nam ea res mucorem vino inesse non patitur.* XII 28, 4: *nam nulla res alienum odorem celerius ad se ducit, quam vinum.* de sententia *plurimum confert cf.* praeterea I 5,4; III 2,3.

7,25	§ 6
εἰδὼς δὲ ὅτι καὶ ἀρήγειν αὖ δεήσει, ἐάν τις ἀδικῇ τὸν τὰ ἔξω ἔργα ἔχοντα, τούτῳ αὖ πλέον μέρος τοῦ θράσους ἐδάσατο	quod autem necesse erat foris et in aperto victum quaerentibus nonnumquam iniuriam propulsare, idcirco virum quam mulierem fecit audaciorem

Verbis *iniuriam propulsare* id ipsum exprimitur quod Xenophon dicit: ἀρήγειν ἐάν τις ἀδικῇ; quapropter ea ab ipso Cicerone orta esse vix negari poterit. cf. pro Planc. 34: *cum a sociis et a se iniuriam propulsaret.* de off. III 74: *etenim si is, qui non defendit iniuriam neque propulsat, cum potest, iniuste facit.* item part. orat. 131; de off. I 23. — ad verba *in aperto* cf. supra *in propatulo ac silvestribus locis* (§ 2 cf. p. 25). sententiam *in aperto*, quae de locis neque apud Ciceronem neque apud Columellam dicta in-

venitur[1]), huic assignandam censeo, cum apud posteros, dico Livium, Vitruvium, Apuleium, Tacitum magis magisque irrepserit.

7,26	§ 6
ὅτι δ᾽ἀμφοτέρους δεῖ καὶ διδόναι καὶ λαμβάνειν, τὴν μνήμην καὶ τὴν ἐπιμέλειαν εἰς τὸ μέσον ἀμφοτέροις κατέθηκεν	quia vero partis opibus aeque fuit opus memoria et diligentia, non minorem feminae quam viro earum rerum tribuit possessionem

Ad verba *partis opibus* cf. pro P. Quinctio 74: *ut per se afflictum atque eversum propinquum suum non modo honeste partis bonis, verum etiam communi luce privaret.* — ad verba *non minorem possessionem* conferas velim quae supra de duplicibus negationibus *nec minus* et *nec exiguus* disputavimus (p. 25 et 30).

Quae sequuntur, apud Columellam non exstant: ὥστε οὐκ ἂν ἔχοις διελεῖν πότερα τὸ ἔθνος τὸ θῆλυ ἢ τὸ ἄρρεν τούτων πλεονεκτεῖ. (27) καὶ τὸ ἐγκρατεῖς δὲ εἶναι ὧν δεῖ εἰς τὸ μέσον ἀμφοτέροις κατέθηκε καὶ ἐξουσίαν ἐποίησεν ὁ θεὸς ὁπότερος ἂν ᾖ βελτίων, εἴθ᾽ ὁ ἀνὴρ εἴθ᾽ ἡ γυνή, τοῦτον καὶ πλέον φέρεσθαι τούτου τοῦ ἀγαθοῦ.

Quoniam Columellam iam paulo ante nonnulla omisisse certo cognoscere licuit, quin hoc quoque loco Ciceronis orationem in breve contraxerit iam nemo dubitabit[2]).

7,28	§ 6
διὰ δὲ τὸ τὴν φύσιν μὴ πρὸς πάντα ταὐτὰ ἀμφοτέρων εὖ πεφυκέναι, διὰ τοῦτο καὶ δέονται μᾶλλον ἀλλήλων καὶ τὸ ζεῦγος ὠφελιμώτερον ἑαυτῷ γεγένηται, ἃ τὸ ἕτερον ἐλλείπεται, τὸ ἕτερον δυνάμενον	tum etiam, quod simplex natura non omnes res commode[3]) amplecti valebat, idcirco alterum alterius indigere voluit: quoniam quod alteri deest, praesto plerumque est alteri

[1]) cf. Fries. Mus. Rhen. 55, 1900 p. 51.

[2]) Etiam Lundströmius haec omnia a Columella, non a Cicerone decurtata esse iudicat (p. 20); attamen falso hanc paragraphum (27) adscripsit verbis sequentibus: *tum etiam . . . plerumque est alteri* (§ 6), quae conferenda esse cum paragrapho 28 non vidit.

[3]) Lundströmius habet *commodas* (p. 19), quod sane a codicibus praebetur, mihi tamen non retinendum videtur, qui malim acquiescere in Schneideri lection *commode*.

Ut incipiamus a separandis eis, quae Columella de suis intulit, ab hoc vocabulum valendi originem ducit, quod Cicero cum infinitivo coniungere non solet[1]), qui tamen Xenophontem ad verbum non interpretatus cetera huius sententiae posuit. nam cf. de inv. II 152: *et neminem posse omnes res per scripturam amplecti.* ibid. II 159: *est igitur in eo genere omnes res una vi atque uno nomine amplexa virtus.* de nat. deor. II 30: *quocirca sapientem esse mundum necesse est naturamque eam, quae res omnes complexa teneat, perfectione rationis excellere.* ibid. II 36: *quid autem est inscitius quam eam naturam, quae omnes res sit complexa, non optimam dici?* ibid. II 29: *omnem enim naturam necesse est, quae non solitaria sit neque simplex, sit cum alio iuncta atque conexa, habere aliquem in se principatum.* — cf. etiam de inv. I 5: *si moderatrix omnium rerum praesto est sapientia.* item de inv. I 30; I 70; II 59; II 97; pro P. Quinctio 52; ibid. (52); Aratea 314.

Hoc vero non satis constat, uter verbum *velle* induxerit *(idcirco alterum alterius indigere voluit.* Xenophon simplicius: διὰ τοῦτο καὶ δέονται μᾶλλον ἀλλήλων). sane haec Columellae afferri possunt: III 8,1: *sed et Italici generis esse voluit (rerum natura) eximiae fecunditatis Albanas Curiatiae familiae trigeminorum matres*; III 9,4: *nihil enim dubium est, quin ipsa natura subolem matri similem esse voluerit.* III 10,10: *sed quod hominibus ignotum voluit esse genitor universi, ventre protexit.* sed cf. etiam Cicero Tim. 36: *quinque autem reliquis motibus orbum eum voluit esse et expertem, immobilem et stantem.* (Plat. 40 B: τὰς δὲ πέντε κινήσεις ἀκίνητον καὶ ἑστὸς ἵν' ὅτι μάλιστα αὐτῶν ἕκαστον γένοιτο ὡς ἄριστον); item Tim. 37: *terram . . . antiquissimam deorum omnium voluit esse* (Plat. 40 B/C: γῆν . . . ἐμηχανήσατο). contra ubi Plato βούλομαι habet, Cicero hoc in interpretatione praetermisit. (cf. Cic. 9, Plat. 29 E; Cic. 9 Plat. 30 A); sed in his rursus cum eo consentit (17): *a quo enim animanti omnes reliquas contineri vellet animantes* (Plat. 33 B: τῷ δὲ τὰ πάντα ἐν αὑτῷ ζῷα περιέχειν μέλλοντι ζῴῳ). item 12: *cum deus similem mundum efficere vellet* (Plat. 30 D: μάλιστα αὐτὸν ὁ θεὸς ὁμοιῶσαι βουληθείς). — denique vocabulum *indigere*, quod in libris de inventione sescenties occurrit, Ciceroni tribuere non

[1]) cf. Fries. Mus. Rhen. 55, 1900 p. 52; Orelli IV p. 974.

dubito, praesertim cum plane id significet, quod Xenophon dicit δέονται.

Hanc igitur partem praefationis suae Columella a Cicerone mutuatus est; in qua etsi multa Ciceronis delevit, tamen non tanta licentia egit, ut interpretationem agnoscere non liceat[1]): quin etiam ipsa Ciceronis elocutio e multis locis elucebat; ea autem, quae vel supervacant vel parum cum Graeco exemplari consentiunt, abundare vidimus talibus verbis, quae Columellae propria sunt. quamquam fieri non potuit quin de multis et verbis et sententiis iudicium vacillaret Ciceroni an Columellae tribuenda sint, sive quod apud utrumque leguntur sive quod aeque ab omnibus scriptoribus usurpantur. quorum in numero haec fere repono: *sic comparatum esse ut, occidere*[2]), *mas et femina, praeparare (§ 1); sub tecto, necessarium est, aliquid comparare, acquirere (§ 2); parare, sub tectum congerere, aliquid fieri oportebit, aliquid custodire, opera conficere, aliquid administrare, hominum genus alitur (§ 3); desiderare, ad aliquid comparatum esse, domestica diligentia, perpeti, stipendia militaria*[3]) *(§ 4); deinceps, idcirco (§ 5); victum quaerere, possessionem tribuere (§ 6) al.* — denique ne hoc quidem satis constat num in coniungendis inter se sententiis Columella particulas a Cicerone positas retinuerit, quas eum non ubique servasse verisimile est, cum particulae *tum etiam*, quae a Columella frequentantur, hac in parte identidem occurrant (§ 2, 4, 6).

De praefatione haec satis sint, nunc ad singula capita transeamus. Columella ad verba Ciceronis addit (§ 7): *haec in Oeconomico Xenophon et deinde Cicero, qui eum Latinae consuetudini tradidit, non inutiliter disseruerunt.* tum infra (§ 10) praefationem sic concludit: *verum ne videar intempestive censorium opus obiurgandis moribus nostrorum temporum suscepisse, iam nunc officia vilicae persequar:*

[1]) Lundström. p. 20.

[2]) De hoc vocabulo Friesius ait haec (Mus. Rhen. 55, 1900 p. 51): '*occidere* braucht Cicero nur für den Untergang einzelner Personen, nicht für den Untergang des Menschengeschlechtes; in diesem Zusammenhang hätte er *interire* gewählt, während *occidere* das Fallen im Kampf bedeutet.' haec utrum recte sint necne mihi explorare non contigit.

[3]) cf. supra p. 31.

Cap. 1 § 1: *Ea porro, (ut institutum ordinem teneamus, quem priore volumine inchoavimus) iuvenis esse debet, id est non nimium puella, propter easdem causas, quas de aetate vilici rettulimus: integrae quoque valetudinis nec foedi habitus, nec rursus pulcherrima; nam illibatum robur et vigiliis et aliis sufficiet laboribus; foeditas fastidiosum, nimia species desidiosum faciet eius contubernalem. (2) Itaque curandum est, ut nec vagum vilicum et aversum a contubernio suo habeamus, nec rursus intra tectum desidem et complexibus adiacentem feminae. sed nec haec tantum, quae diximus, in vilica custodienda sunt:*

9,11	1,3
τὴν δὲ ταμίαν ἐποιησάμεθα ἐπισκεψάμενοι ἥτις ἡμῖν ἐδόκει εἶναι ἐγκρατεστάτη καὶ γαστρὸς καὶ οἴνου καὶ ὕπνου καὶ ἀνδρῶν συνουσίας	Nam inprimis considerandum erit an a vino, ab escis, a superstitionibus, a somno, a viris remotissima sit

Xenophon Ischomachum prima scilicet persona narrantem facit: τὴν δὲ ταμίαν ἐποιησάμεθα. qua forma deleta Columella Ciceronis verba cum suis tali modo coniungit: *nam inprimis considerandum erit* . . . in vocabulo considerandi nescio an lateat Xenophontis ἐπισκέψασθαι[1]). nam sic Cicero ait in Timaeo 5: *de quo id primum consideremus, quod principio est in omni quaestione considerandum* (Plat. 28 B: σκεπτέον δ' οὖν περὶ αὐτοῦ πρῶτον, ὅπερ ὑπόκειται περὶ παντὸς ἐν ἀρχῇ δεῖν σκοπεῖν). tum etiam figura illa *remotissima sit*, quae in Columellae libris non exstat, sine dubio Ciceronis est[2]); nam cf. de inv. I 56: *quod a vestra religione et sapientia remotissimum est.* ibid. I 102: *quae res ab legibus et ab aequabili iure remotissima sit.* ibid. II 36; orat. 32; de nat. deor. II 132. quodsi recte hoc Ciceronis esse statuimus, quod legimus: *remotissima sit*, Cicero etiam in locum γαστρός ea supposuit, quae ventre conficiuntur; nam vilica se abstinere debet non a ventre, sed a cibis, qui ventri iucundissimi sunt, id est ab escis. — iam vero nostrum est quaerere Columella an Cicero superstitiones ceteris rebus adiunxerit: hoc si a Cicerone factum est, iure Xenophontis

[1]) Idem censet Lundströmius p. 21.

[2]) Lundströmius (p. 21) verbis: *a vino, ab escis, a somno, a viris remotissima sit* ipsam Ciceronis orationem inesse pro certo statuit.

Oeconomicum ab eo novis rebus auctum esse dicas. sed nescio an ex eis, quae sequuntur, Columellae ratio aperta fiat. opponuntur enim officia vilicae vilici laboribus: *ut fere eum morem servet, quem vilico praecepimus, quoniam pleraque similia esse debent in viro atque femina.* vilico autem in prioribus libris a superstitione cavendum esse praecepit: (I 8,6): *haruspices sagasque, quae utraque genera vana superstitione rudes animos ad impensas ac deinceps ad flagitia compellunt, ne admiserit;* item XI 1,22: *sacrificia nisi ex praecepto domini facere nesciat: haruspicem sagamque sua sponte non noverit, quae utraque genera vana superstitione rudes animos infestant.*

Cf. Cato V: *haruspicem, augurem, hariolum, Chaldaeum nequem consuluisse velit.* et paulo superius: *rem divinam nisi conpitalibus in conpito aut in foco ne faciat.* Lundströmius quoque isdem locis allatis vocem *superstitionibus Columellam addidisse sibi persuasit.*

9,11	1,3
πρὸς τούτοις δὲ ᾗ τὸ μνημονικὸν μάλιστα ἐδόκει ἔχειν καὶ τὸ προνοεῖν μή τι κακὸν λάβῃ παρ' ἡμῶν ἀμελοῦσα καὶ σκοπεῖν ὅπως χαριζομένη τι ἡμῖν ὑφ' ἡμῶν ἀντιτιμήσεται	et ut cura eam subeat, quid meminisse, quid in posterum prospicere debeat (ut fere eum morem servet, quem vilico praecepimus, quoniam pleraque similia esse debent in viro atque femina), et tam malum vitare quam praemium recte factorum sperare

Dubito utri conveniant *et ut cura eam subeat*, qualia apud neutrum reperiuntur. de usu vocis subeundi his exemplis edocemur: Cic. de inv. I 20: *insinuatio est oratio quadam dissimulatione et circumitione obscure subiens auditoris animum.* ibid. II 26: *aut cum illo periculo, quod subeatur, comparanda.* pro P. Quinctio 97: *denique ipsius inimici vultum superbissimum subiit.* pro Sex. Rosc. Amer. 31: *licet hercules undique omnes immineant terrores periculaque impendeant omnia, succurram atque subibo.* Col. II 4,3: *sin autem subeunti durior aliqua pars obstitit, crudum vervactum esse demonstrat.* III 21,6: . . . *ut neglegentiae vindemiatorum aleam subeat.* — ipsa sententia *cura subit* apud Silium I 327 et apud Senecam Phaedr. 373/4 exstat. — item utri ascribam verba: *in posterum*

prospicere vacillo, quamquam Lundströmius censet (p. 21) verba *in posterum prospicere ut malum vitaret* ipsam Ciceronis orationem fuisse. sic enim Columella ait lib. de arb. 6,3: . . . *matremque ipsam onerabis, nihil in posterum prospiciens ei quam sublaturus es.* sed etiam Cic. ep. II 8,1: *nec praeterita nec praesentia abs te, sed ut ab homine longe in posterum prospiciente futura exspecto.* de lege agr. II 91: *multum in posterum providerunt.* — sed quod ad finem totius sententiae longa illa Xenophontis apud Columellam in angustum contracta esse videmus, ipsum Ciceronem huic loco suam formam dedisse his ex exemplis colligo: de nat. deor. III 85: *si in ea (domo) nec recte factis praemia exstent ulla nec supplicia peccatis.* Milo 96: *fortes et sapientes viros non tam praemia sequi solere recte factorum quam ipsa recte facta.* de solis verbis *recte facta* cf. praeterea de inv. II 104; de fin. III 45; ibid. III 69; Acad. I 37; Phil. I 30; Tusc. III 4. — ad verba *praemia sperare* cf. Phil. XII 26: *etiam gloriam sperabit a latronum gregibus et praemia.* — omnia igitur, quamquam breviore quodam modo, a Cicerone reddita esse videmus; *praemium* latet in voce ἀντιτιμήσεται, tum verba *recte factorum* referenda sunt ad χαριζομένη. *sperare* denique hoc est, quod Xenophon dicit σκοπεῖν ὅπως[1]).

Quae sequuntur hanc partem, ea omnia Columellae sunt, qui a quinta paragrapho ad Ciceronis librum redit:

7,35	§ 5
δεήσει μέντοι σε, ἔφην ἐγώ, ἔνδον τε μένειν καὶ οἷς μὲν ἂν ἔξω τὸ ἔργον ᾖ τῶν οἰκετῶν, τούτους συνεκπέμπειν	ea porro persuasissimum[2]) habere debebit aut in totum aut certe plurimum domi se morari oportere; tum quibus aliquid in agro faciendum erit servis, eos foras emittere

Verba *ea porro persuasissimum habere debebit* quam optime fieri potest Columellae rationem ostendunt, qui Ciceronis orationem idoneis particulis suae ipsius adnectere studet. hoc enim ex loco Columellam quasi loquentem audire licet, apud quem vocabulum

[1]) Lundströmius haud satis accurate confert ἀντιτιμήσεται cum his Columellae: *praemium speraret.*

[2]) De hac voce cf. Fries. Mus. Rhen. 54, 1899 p. 571; ibid. 55, 1900 p. 51.

porro semper fere cum pronomine *is* coniungitur. cf. supra XII 1,1: *ea porro juvenis esse debet.* IV, 6,1: *ea porro sive malleolos seu viviradices deposuimus.* IV 29,15: *ea porro interventu suo prohibeat corpus surculi corpori vitis applicari.* V 5,8: *ea porro non debet esse sublimis.* item VI 14,3; IX 8,1; XII 15,1. — vim igitur pronominis apud posteros tantopere imminutam esse videmus, ut id tantum significet, quod nos dicimus 'er'; ut Germanice locum reddam: 'ferner soll sie sich auch das besonders merken'. contra Cicero pro P. Quinctio 33: *eos porro, qui defendere consuerunt, vides accusare.* Germanice: 'diejenigen ferner, die zu verteidigen pflegen, siehst du unter den Anklägern.' item pro Sex. Rosc. Amer. 70: *eius porro civitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse.* — Xenophon nihil aliud habet nisi: ἔνδον τε μένειν. Columella multo uberius: *aut in totum aut certe plurimum domi se morari oportere;* neque vero dubium esse potest uter locum amplificaverit, quoniam figuram *in totum* (Col; Plin. nat. hist.) apud Ciceronem frustra quaeras [1]).

7,35	§ 5
οἷς δ' ἂν ἔνδον ἔργον ἐργαστέον, τούτων σοι ἐπιστατητέον	quibus autem in villa quid agendum videbitur, eos intra parietes continere atque animadvertere [2]), ne diurna cessando frustrentur opera.

Iterum Columella multo plura habet quam Xenophon. de verbis *eos intra parietes continere* nihil certi statuere licet [3]), quam-

[1]) cf. Fries. Mus. Rhen. 55, 1900 p. 52; Lundström. p. 22.

[2]) Fries. Mus. Rhen. 55, 1900 p. 52: *animadvertere ne* findet sich erst bei Livius (cf. ad fam. V 20,5). — at cf. de fin. IV, 18: *animal . . . animadvertens . . . ut ne quid ab eo fieret nisi honeste.* Lael. 99: *ut animadvertant, ne callida adsentatione capiantur.* quamquam hanc vocem a Columella positam esse ipse puto, quia totum locum amplificavit. vid. supra.

[3]) cf. Col. IV 24,14: *ut sic recisa vitis ac renovata intra iugum contineatur.* VI 6,2: *quidam clausum intra tecta continent, ne pasci possit.* VII 3,25: *hieme et vere matutinis temporibus intra saepta contineantur.* IX 7,2: *ita ut singula binis parietibus angustis contineantur.* Cic. ep. IV 14,3: *intra meos parietes tutus.* Catil. I 6: *parietibus continere;* ibid. I 19: *quod isdem moenibus contineremur.* Cat. II 1: *non denique intra domesticos parietes pertimescemus.* pro P. Quinctio 38: *aut intra parietes aut summo iure experiretur.* Brut. 32: *intraque parietes aluit gloriam.*

quam ego quidem haec quoque a Columella suppleta esse confido[1]), quoniam in eis, quae sequuntur, eius manus identidem agnoscitur. nam *frustrari*, hoc est: *frustra aliquid facere*, siquidem Columellae consuetudinem sequimur[2]), apud Ciceronem aliud quiddam significat. cf. ep. ad Att. XII 18,3: *Cocceius vide ne frustretur;* Acad. prior. II 65: *frustrari cum alios tum etiam me ipsum velim.* — huc adde Col. I 9,8: *tum in cessantes animadversio iusta et sine querela videtur adhiberi.* XI 1,23: *nec absentia sua familiae cessandi aut delinquendi spatium dare.*

His igitur omnibus examinatis haec amplificatio Columellae vix abiudicari poterit, qui etiam in sequenti loco multa addidit, quem ita fere mutavit ut illam partem oratoris Ciceroniani:

7,36	§ 5
καὶ τά τε εἰσφερόμενα ἀποδεκτέον	quae domum autem inferuntur, diligenter inspicere ne delibata sint et ita explorata atque inviolata[3]) recipere

cf. III 4,2: *diligenter exploratum probatumque genus surculi deposuerit.* III 3,1: *ut ante perpensum et exploratum habeamus.* — deinde IX 14,20: . . *diligenter alvos inspicere praecipit.* XII 10,4: *diligenter inspicito, ut sint integra sine vitio aut vermiculo*[4]).

7,36	1,5
καὶ ἃ μὲν ἂν αὐτῶν δέῃ δαπανᾶν σοι διανεμητέον, ἃ δ'ἂν περιττεύειν δέῃ, προνοητέον καὶ φυλακτέον ὅπως μὴ ἡ εἰς τὸν ἐνιαυτὸν κειμένη δαπάνη εἰς τὸν μῆνα δαπανᾶται	tum separare, quae consumenda sunt et quae superfieri possunt, custodire ne sumptus annuus menstruus fiat.

[1]) cf. etiam Lundström. p. 22, qui haec verba uncis inclusit.

[2]) cf. I praef. 22: *ne . . . opera inchoet laboremque frustretur.*

[3])

Cic. or. 4	Col. I praef. 29
par est omnes omnia experiri, qui res magnas et magnopere expetendas concupiverunt.	par est eos, qui generi humano res utilissimas conquirere et perpensas exploratasque memoriae tradere concupiverint . . . .

[4]) Lundströmius (p. 22) verba: *diligenter . . . inviolata* uncis includit.

Haec videntur a Columella ad verbum exscripta esse. unum tantum mentione dignum habemus, dico vocabulum *superfieri*, quod apud Plautum solum exstat (Stich. 592, Trin. 509/10) et ideo mihi videtur Ciceronis esse (cf. quae supra p. 26 de voce accurandi disputavimus).[1])

Apud Xenophontem dialogus, qui est inter Ischomachum et uxorem eius, progreditur, ex quo Columella idonea tantum sibi adscivit: καὶ ὅταν ἔρια εἰσενεχθῇ σοι, ἐπιμελητέον ὅπως οἷς δεῖ ἱμάτια γίγνηται. καὶ ὅ γε ξηρὸς σῖτος ὅπως καλῶς ἐδώδιμος γίγνηται ἐπιμελητέον. (37) ἓν μέντοι τῶν σοὶ προσηκόντων, ἔφην ἐγώ, ἐπιμελημάτων ἴσως ἀχαριστότερον δόξει εἶναι, ὅτι

§ 6

ὃς ἂν κάμνῃ τῶν οἰκετῶν, τούτων σοὶ ἐπιμελητέον πάντων ὅπως θεραπεύηται	tum si quis ex familia coeperit adversa valetudine affici, videndum erit ut is quam commodissime ministretur.

In his quid nostro iudicio Columellae quidque Ciceroni conveniat quam brevissime significemus. quod legimus: *videndum erit ut is quam commodissime ministretur* hoc plane est, quod Xenophon dicit τούτων σοὶ ἐπιμελητέον πάντων ὅπως θεραπεύηται. cf. de inv. I 53: *videndum est, ut simile iis rebus sit.* ibid. I 76: *videndum est, ne ea res proferatur, in qua sit offensum.* ad Att. XVI 1,3: *videndum est, ut mansio laudetur.* — tum etiam ep. XVI 14,2: *Acastum retine, quo commodius tibi ministretur.* — sane *ministrare aliquem* hoc tantum loco occurrit, sed videtur Cicero accurate reddere voluisse ὅπως θεραπεύηται[2]). contra in verbis *siquis ex familia coeperit adversa valetudine affici* Columellae manum mihi agnoscere videor. cf. XII 3,7: *exploretque utrum adversa valetudine inhibitus restiterit an pigritia delituerit.* I 3,5: . . . *sine qua nemo nostrum vel prosperae vel adversae valetudinis vitam prorogat.*

[1]) Friesius contra in Mus. Rhen. 54, 1899 p. 571 duobus illis locis Plautinis recte allatis in altera parte operis sui (Mus. Rhen. 55, 1900 p. 51) hanc vocem inter verba posteriorum scriptorum propria enumerat, et item Orellius (IV p. 974) eam a Cicerone scriptam esse negat.

[2]) Ciceroni haec sententia abiudicatur ab Orellio IV p. 974.

7,37	1,6
νὴ Δί', ἔφη ἡ γυνή, ἐπιχαριτώτατον μὲν οὖν, ἂν μέλλωσί γε οἱ καλῶς θεραπευθέντες χάριν εἴσεσθαι καὶ εὐνούστεροι ἢ πρόσθεν ἔσεσθαι	nam ex huiusmodi cura nascitur benevolentia nec minus obsequium. quin etiam fidelius quam prius servire student, qui convaluerint, cum est aegris adhibita diligentia

In his quoniam formam dialogi deleri necesse erat, Columella paene omnia mutavit. de verbis *cum est aegris adhibita diligentia* cf. III 4,3: *de quo cum iudicaverit, maximam diligentiam sciat adhibendam pastinationi.* V 11,13: *diligentiamque adhibeto, ut* . . lib. de arb. 1,3: *quoniam dubium est an is, qui vendidit, legendis seminibus adhibuerit diligentiam.*

Cap. 2,2: *ea loca qualia esse debeant et in primo volumine, cum villam constitueremus et in undecimo, cum de officio vilici disputaremus, iam dicta sunt. sed ne nunc quidem demonstrare breviter pigebit:*

9,3	2,2
ὁ μὲν γὰρ θάλαμος ἐν ὀχυρῷ ὢν τὰ πλείστου ἄξια καὶ στρώματα καὶ σκεύη παρεκάλει, τὰ δὲ ξηρὰ τῶν στεγῶν τὸν σῖτον, τὰ δὲ ψυχεινὰ τὸν οἶνον, τὰ δὲ φανὰ ὅσα φάους δεόμενα ἔργα τε καὶ σκεύη ἐστίν	nam quod excelsissimum est conclave, pretiosissima vasa et vestem desiderat: quod denique horreum siccum atque aridum, frumentis habetur idoneum, quod frigidum, commodissime vinum custodit, quod bene illustre fragilem supellectilem atque ea postulat opera, quae multi luminis indigent.

Haec cum exemplari in universum consentiunt, in singulis multum ab eo dissentiunt [1]). nam primum, quod legimus: *quod excelsissimum est conclave,* hoc non est, quod Xenophon dicit ὁ μὲν γὰρ θάλαμος ἐν ὀχυρῷ (= firmus). sane fieri potest, ut Cicero excelsissimam domus partem plerumque ab hostibus tutissimam esse

[1]) Non igitur in totum assentiendum erit Lundströmio, qui Ciceronem hac in parte interpretem fidissimum se praestitisse iudicat (p 24).

significare voluerit; attamen ego magis hoc a Columella substitutum esse credam, qui libro primo frigidas res *in plano* ponendas esse dixit (I 6,9): . . . *et horrea, ut ex iis, quae sunt in plano, custodiam recipiant humidarum rerum.* — quae sequuntur paulo inferius: *siccum atque aridum* Columellae nostro iure tribuamus. cf. IV 29,17: *locisque aridis et siccis nigram vitem inserito.* lib. de arb. 3,2: *locis aridis et macris et siccis.* — tum etiam Xenophonti unum sufficit verbum finitum παρεκάλει, at Columella variandi causa duo quaedam nova induxit: *habetur idoneum, commodissime custodit.* at alteram figuram cf. VI 24,1: *illi, quoniam quasi puerili aetate seminandis armentis parum idonei habentur.* VII 6,3: *itaque quinquennis parum idoneus habetur feminis implendis.* VII 9,3: *femina sus habetur ad partus edendos idonea.* — mihi etiam altera figura *commodissime vinum custodit* valde suspecta est. iterum velim eum inspicias locum, quem supra iam attulimus (I 6,4): . . . *et horrea, ut ex iis, quae sunt in plano, custodiam recipiant humidarum rerum tamquam vini aut olei venalium.* inprimis cf. haec (I 9,7): *quod is numeri modus in opere commodissime custodiretur.* — restat ut etiam de verbis *fragilem supellectilem*[1]), quae desiderantur apud Xenophontem, nostram sententiam proferamus: quae a Columella addita esse quamquam certis argumentis evinci non potest, multum tamen probabilitatis habet, quoniam eius manum hac in parte identidem agnovimus.

Post haec Columella sic pergit (2,3): *praeparatis igitur receptaculis oportebit suo quidque loco generatim atque etiam specialiter nonnulla disponere: quo facilius, cum quid expostulabit usus, reperiri possit*[2]).

8,2

ἔστι μὲν γὰρ πενία αὕτη σαφὴς τὸ δεόμενόν τινος μὴ ἔχειν χρῆσθαι· ἀλυπότερα δὲ αὕτη ἡ ἔνδεια τὸ

nam vetus est proverbium paupertatem certissimam esse, cum alicuius indigeas uti eo non posse,

[1]) Ut illata a Columella seclusit Lundströmius p. 24.

[2]) Dubito an re vera similitudo quaedam sit inter hunc locum et ea, quac Lundströmius (p. 24) ex Xenophontis libro conferri iubet: ἀλλὰ γάρ, ἔφη,ν ἐγώ, τούτων οὐ σὺ αἰτία ἀλλ' ἐγὼ οὐ τάξας σοι παρέδωκα, ὅπου χρὴ ἕκαστα κεῖσθαι, ὅπως εἰδῇς ὅπου τι δεῖ τιθέναι καὶ ὁπόθεν λαμβάνειν (8,2).

ζητοῦντα τι μὴ δύνασθαι λαβεῖν, ἢ τὴν ἀρχὴν μηδὲ ζητεῖν εἰδότα ὅτι οὐκ ἔστιν

quia ignoratur ubi proiectum iaceat quod desideratur

Columullam locum in breve ita contraxisse, ut etiam sensum paululum inclinaret recte monet Lundströmius (p. 24). tum iterum pauca de suo Columella interponit: *itaque in re familiari laboriosior est neglegentia quam diligentia.* haec ad Ciceronis orationem sequentem tali modo adiungit (§ 4): *quis enim dubitet nihil esse pulchrius* . . . cf. I 3,5: *quis enim dubitet eam maxime probatam haberi.* III 8,5: *neque enim dubium est . . . vites . . . in nobilitate vini principes esse* (a. c. inf.)..

8,3

ἔστι δ᾽ οὐδὲν οὕτως, ὦ γύναι, οὔτ᾽ εὔχρηστον οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς τάξις. καὶ γὰρ χορὸς ἐξ ἀνθρώπων συγκείμενός ἐστιν. ἀλλ᾽ ὅταν μὲν ποιῶσιν ὅ τι ἂν τύχῃ ἕκαστος, ταραχή τις φαίνεται καὶ θεᾶσθαι ἀτερπές, ὅταν δὲ τεταγμένως ποιῶσι καὶ φθέγγωνται, ἅμα οἱ αὐτοὶ οὗτοι καὶ ἀξιοθέατοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ ἀξιάκουστοι.

2,4

quis enim dubitet nihil esse pulchrius in omni ratione vitae dispositione atque ordine? quod etiam ludicris spectaculis licet saepe cognoscere. nam ubi chorus canentium non ad certos modos neque numeris praeeuntis magistri consensit, dissonum quiddam ac tumultuosum audientibus canere videtur; at ubi certis numeris ac pedibus velut facta conspiratione consensit atque concinuit, ex eiusmodi vocum concordia non solum ipsis canentibus amicum quiddam et dulce resonat, verum etiam spectantes audientesque laetissima voluptate permulcentur.

Hac de parte id fere iudicium fieri oportebit, quod supra fecimus de altera paragrapho: res eaedem sunt in utraque lingua, in verbis autem maxima dissensio est; neque tamen huius rei omnem culpam Columellae impono, quoniam huic loco multa insunt, quae in Latinum accurate vix transferri possunt. ut exemplum afferam, non video quomodo ad verbum vertas: ταραχή τις φαίνεται

καὶ θεᾶσθαι ἀτερπές. sed ad singula transeamus. Xenophon incipit: ἔστι δ' οὐδὲν οὕτως, ὦ γύναι, οὔτ' εὔχρηστον οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς τάξις. Columella autem mentione hominum non facta: *quis enim dubitet nihil esse pulchrius in omni ratione vitae dispositione atque ordine?* haec nisi fallor ab ipso Cicerone scripta sunt[1]). nam primum vereor ut satis Latinum sit, si locus ad verbum reddatur: *nihil hominibus tam pulchrum est quam ordo*; tum etiam figura *in vitae ratione* mihi videtur dictionis Ciceronianae speciem prae se ferre[2]). cf. de inv. II 29: *qua ratione vitae, quo more domestico vivat.* pro P. Quinctio 92: *quod vitae ratio cum ratione vitae decerneret.* pro Cael. 40: *qui hanc sectam rationemque vitae re magis quam verbis secuti sumus.* — de figura *dispositione atque ordine* cf. locum illum Servianum, quem supra attulimus (in Verg. Aen. I 703): *ordine longo*]; *id est dispositione, secundum Tullium, qui in Oeconomicis dicit quid ubi ponendum sit, nec enim debent universa confundi.* cf. etiam de inv. I 8: *dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio.* item de orat. II 179: *qui ordo tibi placeat, inquit Catulus, et quae dispositio argumentorum?*

De sequenti enuntiato, quo facile carere possumus, nihil certi statuere audeo. dubito enim utrum verba *quod etiam ludicris spectaculis licet saepe cognoscere,* quae Lundströmius uncis inclusit (p. 25), a Columella sint an in locum quorundam Ciceronianorum substituta. nam Columellam huic loco manum suam imposuisse certis quibusdam signis agnosci potest. eodem enim modo loquitur his locis: II 13,2: *quod etiam in faba ceterisque leguminibus, quibus terra gliscere videtur, verisimile est accidere.* II 13,3: *quod etiam Vergilius significat dicendo.*

In tertio enuntiato ipsum Ciceronem explicationis causa addidisse *canentium* inde colligo, quod talis generis additamenta etiam aliis locis inveniuntur. cf. de senect. 80/1: *iam vero videtis nihil esse morti tam simile quam somnum. atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem suam.* (Xen. Cyrop. VIII 7: ἐννοήσατε

[1]) Scilicet praeter acc. c. inf. pendentem a verbo dubitando.

[2]) Neque tamen silentio praetermitti debet verba 'in omni ratione vitae' apud Ciceronem non exstare. sed cf. Col. III 21,2: 'quod in omni ratione vitae non solum agricolationis sed cuiusque disciplinae prudentem delectant impensius ea, quae . . .'

δέ, ἔφη, ὅτι ἐγγύτερον μὲν τῶν ἀνθρωπίνων θανάτῳ οὐδέν ἐστιν ὕπνου· ἡ δὲ τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴ τότε δή που θειοτάτη καταφαίνεται καὶ τότε τι τῶν μελλόντων προορᾷ). item de div. I 60: *cum dormientibus ea pars animi, quae mentis et rationis sit particeps, sopita langueat* (Plat. rep. 571 C: ὅταν τὸ μὲν ἄλλο τῆς ψυχῆς εὕδῃ, ὅσον λογιστικὸν καὶ ἥμερον καὶ ἄρχον ἐκείνου).

Tum in eis, quae sequuntur, Xenophon in universum praecipit ne licentia quisque in canendo agat: ἀλλ' ὅταν μὲν ποιῶσιν ὅ τι ἂν τύχῃ ἕκαστος . . ., pro quibus Columella distinctius: *nam ubi in choro canentium non ad certos modos neque numeris praeeuntis magistri consensit.* fortasse etiam haec Ciceronis sunt, quoniam ubi vel de oratione vel de versibus loquitur, numeros et modos saepius una commemorat. cf. de inv. I 49: *in praesentia tantummodo numeros et modos et partes argumentandi confuse et permixtius dispersimus.* de orat. III 196: *quotus enim quisque est, qui teneat artem numerorum ac modorum?* Brut. 32: *etiam in soluta oratione dum versum effugeres, modum tamen et numerum quendam oportere servari.* — Columella item infra: *at ubi certis numeris ac pedibus velut facta conspiratione consensit atque concinuit.* cf. orat. 173: *nec vero multitudo pedes novit nec ullos numeros tenet.* ibid. 218: *iam paean, quod plures habeat syllabas quam tres, numerus a quibusdam, non pes habetur.* — sed quid sibi velint verba *praeeuntis magistri*, equidem non intellego; neque enim apud Xenophontem quidquam legitur de praeeunte magistro et verba illa huic loco male quadrant, quoniam modi et numeri non ad magistrum sed ad ipsam musicam pertinent. accedit, quod ex Columellae libris hoc exemplum afferri potest (I 9,7): *classes etiam non maiores quam denum hominum faciundae, quas decurias appellaverunt antiqui et maxime probaverunt, quod is numeri modus in opere commodissime custodiretur, nec praeeuntis monitoris diligentiam multitudo confunderet.* —

Denique ut etiam de extrema parte totius loci nostram aperiamus opinionem, equidem facere non possum quin Ciceronem verba Xenophontis perperam intellexisse credam: ἅμα οἱ αὐτοὶ οὗτοι, id est: 'idem, qui cum licenter agunt, omnia confundere solent, cum modos et numeros tenent, dignissimi sunt, qui et

spectentur et audiantur.' sed quoniam apud Graecos plerisque locis vocabulum ἅμα iteratur, Cicero cum alterum membrum desideraret, ipse supplevit: *non solum . . . verum etiam*, tamquam Xenophon scripsisset: ἅμα μὲν οἱ αὐτοὶ οὗτοι, . . . ἅμα δὲ οἱ ἄλλοι. — hunc igitur locum Cicero, nisi omnia me fallunt, re vera amplificavit, neque tamen ideo quod materiae suppositae novas res addere voluit, sed quod sensum non perspexit.

Restat ut sententiae nostrae confirmandae causa hos locos subiungamus: Brut. 171: *illud est maius, quod in vocibus nostrorum oratorum retinnit quiddam et resonat urbanius.* ibid. 259: . . . *sonabatque contrarium Catulo subagreste quiddam planeque subrusticum.* de fin. II 32: *qui (status) permulcet sensum voluptate.* orator 163: *duae sunt igitur res, quae permulceant aures, sonus et numerus.* de orat. II 315: . . . *quaeque continuo eum, qui audit, permulcere atque allicere debet.*

Xenophon igitur ut omnibus in rebus administrandis ordinem servandum esse demonstret, exemplum sumit de choro canentium. post haec de re militari atque etiam de re navali longa oratione idem exponit quae omnia Columella, cui unum exemplum attulisse satis visum est, verbis quam paucissimis ita comprehendit, ut Ciceronis oratione paene ubique deleta suis ipsius verbis utatur. sed quoniam ex rerum in utraque lingua consensu Columellae verba ad quosnam locos Xenophonteos referenda sint apparet, pergamus ut soliti sumus, Latina cum Graecis comparare.

8,4	2,5
καὶ στρατιά γε, ἔφη φάναι, ὦ γύναι, ἄτακτος μὲν οὖσα ταραχωδέστατον, καὶ τοῖς μὲν πολεμίοις εὐχειρωτότατον, τοῖς δὲ φίλοις ἀκλεέστατον ὁρᾶν καὶ ἀχρηστότατον, ὄνος ὁμοῦ, ὁπλίτης, σκευοφόρος, ψιλός, ἱππεύς, ἅμαξα· πῶς γὰρ ἂν πορευθείησαν	iam vero in exercitu neque miles neque imperator sine ordine ac dispositione quidquam valet explicare,
⟨ἐὰν⟩ ἔχοντες οὕτως ἐπικωλύσωσιν ἀλλήλους, ὁ μὲν βαδίζων τὸν τρέχοντα, ὁ δὲ τρέχων τὸν ἑστηκότα, ἡ δὲ ἅμαξα τὸν ἱππέα, ὁ δὲ ὄνος	cum armatus inermem, eques peditem, plaustrum equitem, si sint permixti, confundant

τὴν ἅμαξαν; ὁ δὲ σκευοφόρος τὸν ὁπλίτην;

8,8

καὶ τριήρης δέ τοι ἡ σεσαγμένη . . .

haec eadem ratio[1] praeparationis atque ordinis etiam in navigiis plurimum valet.

8,16

οὐ γάρ, ἔφη, ἐγχωρεῖ, ὅταν χειμάζῃ ὁ θεὸς ἐν τῇ θαλάττῃ, οὔτε μαστεύειν ὅπου ἂν δέῃ, οὔτε

nam ubi tempestas incessit et est rite disposita navis, suo quidque ordine locatum armamentum sine trepidatione minister promit, cum est a gubernatore[2]) postulatum.

8,17

ἐγὼ οὖν κατιδὼν ταύτην τὴν ἀκρίβειαν τῆς κατασκευῆς ἔλεγον τῇ γυναικὶ ὅτι πάνυ ἂν ἡμῶν εἴη βλακικόν, εἰ οἱ μὲν ἐν τοῖς πλοίοις καὶ μικροῖς οὖσι χώρας εὑρίσκουσι καὶ σαλεύοντες ἰσχυρῶς ὅμως σώσουσι τὴν τάξιν καὶ ὑπερφοβούμενοι ὅμως εὑρίσκουσι τὸ δέον λαμβάνειν, ἡμεῖς δὲ καὶ διῃρημένων ἑκάστοις θηκῶν ἐν τῇ οἰκίᾳ μεγάλων καὶ βεβηκυίας τῆς οἰκίας ἐν δαπέδῳ,

2,6

quodsi tantum haec possunt vel in theatris vel in exercitibus vel etiam in navigiis,

nihil dubium est, quin cura vilicae ordinem dispositionemque rerum quas reponit, desideret.

[1]) Nolim silentio praetermittere in Ciceronis libris de inventione (I 58) locum quendam exstare, qui huic parti simillimus est: *exercitus is, cui praepositus est sapiens et callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia et temeritate administratur. eadem navigii ratio est. nam navis optime cursum conficit ea, quae scientissimo gubernatore utitur.* quae cum tam mirum in modum inter se consentiant, erit fortasse, qui ea quae Xenophon longe disputat, iam ante Columellam ab ipso Cicerone in breve redacta esse dicat: quod mihi tamen videtur omni probabilitate carere, quoniam hanc partem videbimus verbis et sententiis, quae Columellae propria sunt, adeo abundare, ut quin is haec omnia decurtaverit iam non dubium esse possit.

[2]) Ad verba *minister* et *gubernator* cf. porro 8,14: τὸν δὲ τοῦ κυβερνήτου διάκονον, ὃς πρωρεὺς τῆς νεὼς καλεῖται, οὕτως εὗρον ἐπιστάμενον ἑκάστων τὴν χώραν, ὡς καὶ ἀπὼν ἂν εἴποι ὅπου ἕκαστα κεῖται.

εἰ μὴ εὑρήσομεν καλὴν καὶ εὐεύρετον χώραν ἑκάστοις αὐτῶν, πῶς οὐκ ἂν πολλὴ ἡμῶν ἀσυνεσία εἴη;

8,10

καὶ ἐν ταύτῃ θέντες διδάξωμεν τὴν διάκονον λαμβάνειν τε ἐντεῦθεν καὶ κατατιθέναι πάλιν εἰς ταύτην· καὶ οὕτως εἰσόμεθα τά τε σῶα ὄντα καὶ τὰ μή· ἡ γὰρ χώρα αὐτὴ τὸ μὴ ὂν ποθήσει καὶ ⟨τὸ⟩ δεόμενον θεραπείας ἐξετάσει ἡ ὄψις καὶ τὸ εἰδέναι ὅπου ἕκαστόν ἐστι ταχὺ ἐγχειρεῖ, ὥστε μὴ ἀπορεῖν χρῆσθαι

2,6

nam et unumquodque facilius consideratur, cum est assignatum suo loco, et siquid forte abest, ipse vacuus locus admonet, ut quod deest requiratur, si quid vero curari aut concinnari oportet facilius intellegitur, cum ordine suo recensetur [1]).

Reliquum est, ut de nonnullis sententiis pauca addamus:

§ 5: *valet explicare]* cf. p. 35.

cum armatus inermem] cf. Cic. pro Caecina 63: *non, si armatis, quam si inermibus, qui vim armatorum haberent ad nocendum, non, si pluribus quam si uno armato.*

nam ubi tempestas incessit] cf. Col. I 6,24: *si subitaneus imber incesserit.* I 7,1: *nisi si caeli maior vis aut praedonis incessit.* II 11,1: *si frigora incesserint.* V 9,11: *cum siccitates incesserunt.* XI 3,42: *cum iam pluviae incesserint.*

et est rite disposita navis] cf. Col. IV 17,4: *si vel parum late disposita vinea.* I 1,15: *nec tamen sic mente dispositus.* IV 25,1: *est autem sic disposita vinitoriae falcis figura.*

suo quidque ordine locatum armamentum] cf. Cic. Aratea 441: *quem si prospiciens vitaveris omnia caute armamenta locans.* Brut 215: *reperiebat quid dici opus esset et quo modo praeparari et quo loco locari.* ibid. 209: *reliquae partes, quasi membra suo quaeque loco locata.*

[1]) Lundströmius huc fere revocandum censet locum Servianum iam bis commemoratum (cf. p. 14 et 46); qui quamquam sane ad longas illas de ordine servando disputationes in totum pertinet, nescio tamen an accuratius referatur sicut fecimus ad cap. 2,4, quoniam duo illa vocabula *ordo* et *dispositio* etiam Servius habet (Lundström. p. 26).

Nihil dubium est] cf. Col. I 7,5; II 20,4; III 9,4; III 10,21.

Redolent Columellae elocutionem hae sententiae: *nam et unumquodque facilius consideratur, cum est assignatum suo loco* et item: *facilius intellegitur cum ordine suo recensetur.* cf. V 6,27: *nam et commodius enodantur et refrigerantur, cum alio loco alligatae sunt.*

de sententia: *ipse vacuus locus admonet* iudicium vacillare debebit. cf. Cic. ad Att. I 10,3: *etenim ibi sedens haec ad te scribebam, ut me locus ipse admoneret*; de orat. III 47: *si qui me forte locus admonuerit, commonebo.* sed etiam Col. IV 29,17: *nisi tamen vacuus locus demortui capitis vitem reposcit.* denique vocabula recensendi et concinnandi apud Ciceronem frustra quaeras.

Ad finem vero huius capitis cum Lundströmio (p. 26/7) monendum censeo ne in his quidem partibus, quae cum Graeco fonte adeo non consentiunt, ut vix ulla interpretationis signa cognoscere liceat, aliorum nos fontium vestigia invenisse.

Iam vero in partibus adhuc a nobis tractatis Columellam vidimus fontem suum ita adhibuisse, ut sive nomen Ciceronis apposuit sive non apposuit, forma dialogi ubique deleta non pauca mutaret. ad finem vero alterius capitis (2,6) haec ait: *de quibus omnibus M. Cicero, auctoritatem Xenophontis secutus in Oeconomico sic inducit Ischomachum sciscitanti Socrati narrantem:* videtur igitur in eis quae sequuntur verba Ciceronis integra reddidisse[1]; quod utrum re vera fecerit an ne in his quidem omnia intacta reliquerit, res ipsa nos docebit.

9,6	3,1
ἐπεὶ δὲ ταῦτα διήλθομεν, ἔφη, οὕτω δὴ ἤδη κατὰ φυλὰς διεκρίνομεν τὰ ἔπιπλα	praeparatis idoneis locis instrumentum et supellectilem distribuere coepimus

Ut incipiamus a verbis *praeparatis idoneis locis*, Ciceronem sic ea vertisse, quae Xenophon dicit: ἐπεὶ δὲ ταῦτα διήλθομεν vix credibile est: sed cum Columella hanc partem ex medio libro Ciceronis solveret, initium suae orationi accomodare debuit, quoniam

[1]) cf. Lundström. p. 27.

si dixisset: *haec postquam omnia inspeximus* — nam sic fere Cicero scripsisse putandus est —, non esset quo pronomen *haec* referretur. accedit, quod Columella supra praecepit, priusquam suo quidque loco reponeretur, loca ipsa praeparanda esse (2,3): *praeparatis igitur receptaculis oportebit suo quidque loco generatim atque etiam specialiter nonnulla disponere.* cf. etiam XII 4,4: *post hoc praeceptum locum et vasa idonea salgamis praeparari iubent.* XII 7,1: *his praeparatis circa vernum aequinoctium herbas in usum colligi et reponi oportebit.* — neque vero satis constat, utri conveniant verba *instrumentum et supellectilem*, cum duo illa apud multos scriptores una nominentur (Cic. Verr. IV 97; de orat. I 165; Col. I 8,20; I 5,6; Varro de r. r. I 22); attamen a nobis Ciceroni magna cum specie veritatis attribuuntur.

9,6	3,1
ἠρχόμεθα δὲ πρῶτον, ἔφη, ἀθροίζοντες, οἷς ἀμφὶ θυσίας χρώμεθα	ac primum ea secrevimus, quibus ad res divinas uti solemus

Quod Xenophon dicit: ἠρχόμεθα δὲ πρῶτον ἀθροίζοντες, hoc Cicero simplicius reddit: *ac primum ea secrevimus*; sicut etiam supra (frg. 4 p. 9): *quid igitur, pro deum immortalium, primum eam docebas, quaeso?* (Xen. 7,9: πρὸς θεῶν, ἔφην ἐγώ, ὦ Ἰσχόμαχε, τί πρῶτον διδάσκειν ἤρχου αὐτήν, διηγοῦ μοι). — ad verba: *quibus ad res divinas uti solemus* cf. Cic. Verr. IV 46: *patera, qua mulieres ad res divinas uterentur.* ibid. 47: *quibus ad res divinas uti consuerunt.*

9,6	3,1
μετὰ ταῦτα κόσμον γυναικὸς τὸν εἰς ἑορτὰς διῃροῦμεν, ἐσθῆτα ἀνδρὸς τὴν εἰς ἑορτὰς καὶ πόλεμον καὶ στρώματα ἐν γυναικωνίτιδι, στρώματα ἐν ἀνδρωνίτιδι, ὑποδήματα γυναικεῖα, ὑποδήματα ἀνδρεῖα	postea mundum muliebrem, qui ad dies festos comparatur, deinde ad bella virilem, item dierum sollemnium ornatum, nec minus calciamenta utrique sexui convenientia

Iam vero videmus Columellam suo more locum mutasse: neque enim dubito quin haec Xenophontis in breve redegerit: καὶ στρώματα ἐν γυναικωνίτιδι, στρώματα ἐν ἀνδρωνίτιδι, ὑποδήματα γυναικεῖα, ὑποδήματα ἀνδρεῖα, pro quibus Columella nihil aliud habet nisi haec: *nec minus calciamenta utrique sexui convenientia.* sed insunt

huic loco particulae illae *nec minus*, de quibus supra locuti sumus (p. 25); item de vocabulo *sexus* cf. p. 33. cf. denique Col. VI 37,11: *sed uterque sexus et viam recte graditur et terram commode proscindit*. VIII 11,6: *ultima parte hiemis concitantibus libidinem cibis utriusque sexus accendenda venus est.* — participium *conveniens* exstat Col. I praef. 7: *res corporibus nostris vitaeque utilitati maxime conveniens.* VII 13,2: *quod medicamentum putatur etiam hominibus esse conveniens.* XI 1,18: *et convenientem ei ceteram curationem adhiberi iubeat.* VII 9,6: *nemora sunt convenientissima, quae vestiuntur quercu*[1]. sed ut ad initium huius loci redeamus, *mundus muliebris* plane id est, quod Xenophon κόσμον γυναικός appellat[2].

9,7	3,1
ὅπλων ἄλλη φυλή, ἄλλη ταλασιουργικῶν ὀργάνων, ἄλλη σιτοποιικῶν, ἄλλη ὀψοποιικῶν, ἄλλη τῶν ἀμφὶ λουτρόν, ἄλλη ἀμφὶ μάκτρας, ἄλλη ἀμφὶ τραπέζας	tum iam seorsum arma ac tela separabantur et in altera parte, quibus ad lanificia utuntur. 2) post quae ad cibum comparandum vasa assolent[3]), constituebantur, inde quae ad lavationem, quae ad exornationem, quae ad mensam cotidianam atque epulationem pertinent, exposcebantur.

[1]) quare quod dubitat Lundströmius (p. 29) hic locus utrum a Cicerone neglegenti opera redditus an a Columella mutilatus sit, nescio an his exemplis allatis de illa re certius iudicium facere liceat.

[2]) cf. Ulpian. digest. XXXIV 2,25: *ornamenta muliebria sunt, quibus mulier ornatur . . . mundus vero muliebris est, quo mulier munditior fit.* Tertullian. de cultu fem. I 4: *habitus feminae duplicem speciem circumfert, cultum et ornatum. cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant. ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici.* Livius XXXIV 7,9: *munditiae et ornatus et cultus, haec feminarum insignia sunt. his gaudent et gloriantur, hunc mundum muliebrem appellarunt maiores nostri.*

[3]) In textu constituendo Lundströmium secutus sum. Schneideri editio locum sic exhibet: *tum iam seorsum arma ac tela seponebantur et in altera parte instrumenta, quibus ad lanificia utuntur.* (§ 2) *post quibus ad cibum comparandum vasis uti assolent.*

Cicero multa plura habet quam Xenophon, siquidem verborum numerus consideratur: neque enim sensui quidquam additum esse videmus. verba autem hac in parte cumulari necesse erat, quoniam voces quales sunt ταλασιουργικῶν, σιτοποιικῶν, ὀψοποιικῶν ὀργάνων nisi circumscribendo vix exprimi possunt. tum etiam coniunctionibus atque verbis finitis orationem variavit, cum apud Xenophontem eadem figura ἄλλη φυλή identidem iteretur. nam licet etiam Columella hoc loco singula membra suis ipsius particulis inter se coniunxerit, solet tamen ipse Cicero in interpretando membra in Graeco non cohaerentia inter se copulare. sic enim Plato ait legg. 955 E—956 B: χρυσὸς δὲ καὶ ἄργυρος ἐν ἄλλαις πόλεσιν ἰδίᾳ τε καὶ ἐν ἱεροῖς ἐστιν ἐπίφθονον κτῆμα. ἐλέφας δὲ ἀπολελοιπότος ψυχὴν σώματος οὐκ εὐαγὲς ἀνάθημα. σίδηρος δὲ καὶ χαλκὸς πολέμων ὄργανα. ξύλον δὲ μονόξυλον ὅτι ἂν ἐθέλῃ τις ἀνατιθέτω, καὶ λίθου ὡσαύτως πρὸς τὰ κοινὰ ἱερά, ὑφὴν δὲ μὴ πλέον ἔργον γυναικὸς μιᾶς ἔμμηνον. cf. Cic. de leg. II 45: *aurum autem et argentum in urbibus et privatim et in fanis invidiosa res est. tum ebur, ex inani corpore extractum haud satis castum donum deo. iam aes atque ferrum duelli instrumenta, non fani. ligneum autem, quod quisque voluerit, uno e ligno dedicato, itemque lapidem, in delubribus communibus.*

Quod autem legimus: *arma ac tela*, cum Xenophon nihil aliud habeat nisi ὅπλων, dubito utrum Cicero adhibuerit ut solet figuram ἓν διὰ δυοῖν an Columella armis tela adiunxerit. sane arma una cum telis apud Ciceronem semel nominantur de or. III 167: *campum pro comitiis, togam pro pace, arma ac tela pro bello;* sed alio quodam loco idem haec ait (pro Caecina 60): *arma esse suis nominibus alia ad tegendum alia ad nocendum.* contra Livius I 43,2: *arma his imperata: galea, clipeus, ocreae, loricae, omnia ex aere, haec ut tegmenta corporis essent, tela in hostem hastaque et gladius.* — restat ut iubeamus observari, quonam modo Cicero converterit ἀμφὶ μάκτρας, pro quibus dicit: *quae ad exornationem pertinent,* quamquam μάκτρα rem quandam significat ab exornatione longe diversam. cum autem haec vox in libris, quales Cicero legisse putandus est, vix frequentata sit, eum verbi significationem non intellexisse verisimile est; quapropter Kurfessii coniecturam *excoctionem* [1]),

[1]) Eranos XI 1911, p. 249/50.

quam optime excogitatam esse nemo negabit, cum Lundströmio (p. 29) refutare malim.

9,7	3,2
καὶ ταῦτα πάντα διεχωρίσαμεν οἷς τε ἀεὶ δεῖ χρῆσθαι καὶ τὰ θοινητικά	postea ex iis, quibus cotidie utimur,
8	
χωρὶς δὲ καὶ τὰ κατὰ μῆνα δαπανώμενα ἀφείλομεν, δίχα δὲ καὶ τὰ εἰς ἐνιαυτὸν ἀπολελογισμένα κατέθεμεν, οὕτω γὰρ ἧττον λανθάνει, ὅπως πρὸς τὸ τέλος ἐκβήσεται	quod menstruum esset, seposuimus, annuum quoque in duas partes divisimus. nam sic minus fallit, qui exitus futurus sit

Hoc loco Cicero in gravem vertendi errorem incidit, cum verba δίχα κατέθεμεν sic reddidit: *in duas partes divisimus.*[1]) δίχα καταθεῖναι, id est 'seorsum' ponere, quamquam δίχα (vel διχῇ) derivatur ab eadem radice atque δίς et aliis locis id significat, quod est in nostra lingua 'zwiefach'. cf. Plat. Tim. 39 A: διὰ τὸ διχῇ κατὰ τὰ ἐναντία ἅμα προσιέναι (Cic. 31: *quia bifariam contrarie simul procedentia efficiebant*).

Columellam igitur in tota hac parte a tertii capitis initio non eadem licentia, qua solet, egisse eo potissimum demonstratur, quod vel errata Ciceronis ex verbis Columellae cognoscere licet. velim etiam observes ea, quae sequuntur, necessario ad verbum ab eo esse exscripta:

οὕτω γὰρ ἧττον λανθάνει: *nam sic minus fallit;* ὅπως πρὸς τὸ τέλος ἐκβήσεται: *qui exitus futurus sit.*

9,8	3,3
ἐπεὶ δὲ ἐχωρίσαμεν πάντα κατὰ φυλὰς τὰ ἔπιπλα, εἰς τὰς χώρας τὰς προσηκούσας ἕκαστα διηνέγκαμεν	haec postquam omnia secrevimus, tum suo quaeque loco disposuimus

[1]) cf. Lundström. p. 29.

9

μετὰ δὲ τοῦτο ὅσοις μὲν τῶν σκευῶν καθ᾽ἡμέραν χρῶνται οἱ οἰκέται, οἷον σιτοποιικοῖς, ὀψοποιικοῖς, ταλασιουργικοῖς καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτον, ταῦτα μὲν αὐτοῖς τοῖς χρωμένοις δείξαντες ὅπου δεῖ τιθέναι παρεδώκαμεν καὶ ἐπετάξαμεν σῶα παρέχειν.

deinde quibus cotidie servuli utuntur, quae ad lanificia, quae ad cibaria coquenda et conficienda pertinent, haec ipsis, qui his uti solent, tradidimus et ubi ea ponerent demonstravimus et ut salva essent praecepimus.

Ad verba: *quae ad cibaria coquenda et conficienda pertinent* cf. de nat. deor. II 136: . . . *et terendo cibo et praeterea spiritu omnia cocta atque confecta in reliquum corpus dividitur.* item 137: *confectus iam coctusque cibus.*

9,10

ὅσοις δ᾽εἰς ἑορτὰς ἢ ξενοδοκίας χρώμεθα ἢ εἰς τὰς διὰ χρόνου πράξεις, ταῦτα δὲ τῇ ταμίᾳ παρεδώκαμεν καὶ δείξαντες τὰς χώρας αὐτῶν καὶ ἀπαριθμήσαντες καὶ γραψάμενοι ἕκαστα εἴπομεν αὐτῇ διδόναι τούτων ὅτῳ δέοι ἕκαστον, καὶ μεμνῆσθαι ὅ τι ἄν τῳ διδῷ καὶ ἀπολαμβάνουσαν κατατιθέναι πάλιν ὅθενπερ ἂν ἕκαστα λαμβάνῃ.

3,4

quibus autem ad dies festos et ad hospitum adventum utimur et ad quaedam rara negotia, haec promo tradidimus et loca omnium demonstravimus et ei omnia annumeravimus atque annumerata ipsi exscripsimus eumque admonuimus, ut quodcumque opus esset sciret, unde daret et meminisset atque annotaret, quid et quando et cui dedisset et cum recepisset, ut quidque suo loco reponeret.

Ad verba: *quibus autem ad dies festos et ad hospitum adventum utimur* cf. Verr. IV 32: *vas eiusmodi, . . . quo solitus esset uti ad festos dies, ad hospitum adventus.* — Columella in locum τῆς ταμίας promum substituit. neque enim Cicero habebat, cur hoc mutaret, quoniam in Oeconomico matri familias adiutrix datur vilica; sed Columella, qui ea quae Xenophon matrifamilias praecepit, ad vilicam suam transtulit, vilicae adiutorem dat pro-

mum[1]). — quae sequuntur cum exemplari ad verbum non congruunt; neque tamen Columellam hunc locum parum diligenter attulisse existimaverim. nam quod minus accurate conversa esse videmus διδόναι τούτων ὅτῳ δέοι ἕκαστον *(ut quodcunque opus esset sciret unde daret)*, hoc ipse Cicero facile sibi indulgere potuit. Xenophon item paulo inferius: καὶ μεμνῆσθαι ὅ τι ἄν τῳ διδῷ. Cicero uberius: *et meminisset atque annotaret, quid et quando et cui dedisset.* cf. Verr. V 11: *quid aut quantum aut quo modo acceperis?* de inv. I 16: *cum aut quem aut quicum aut quomodo aut apud quos aut quo iure aut quo tempore agere oporteat.* ibid. II 113: *in praemii autem genere quid et quantum et quamobrem postuletur et quo et quanto quaeque res praemio digna sit considerabitur.* ibid. II 176: *considerandum est et non quid, sed quo quidque animo, quicum, quo tempore, quamdiu fiat, attendendum est.* orator 179: *quaeri enim potest, qui sit orationis numerus et ubi sit positus et natus ex quo, et is unusne sit an duo an plures, quaque ratione componantur, et ad quam rem ut quando et quo loco et quem ad modum adhibitus aliquid voluptatis afferat*[2]). — quod autem legimus *meminisset atque annotaret*, cum Xenophon nihil habeat nisi μεμνῆσθαι, nolim silentio praetermittere verbum annotandi in Ciceronis libris non exstare. legitur primum apud Horatium, tum apud Senecam, Valerium Maximum, Quintilianum, Plinium, Frontinum, Gellium, Charisium, Columellam XI 2,6.

Hac igitur in parte Columellam Tullium ipsum loquentem facere et in verbis eius afferendis non eadem licentia qua in ceteris partibus egisse vidimus[3]): sed rursus ad finem huius capitis ad consuetudinem suam revertitur[4]):

[1]) vid. infra p. 61: quare nullo modo facere possum ut Lundströmio assentiar, qui restituendum censet *promae* secundum Xenophontis τῇ ταμίᾳ; sed *promae* neque in codicibus exstat — siquidem Schneideri editio codicum contextum recte exhibet —, neque hoc loco Latinum sit, quoniam *proma* cellam, non personam significat.

[2]) Non igitur Ciceronem hoc loco legisse ὅταν τί τῳ διδῷ, ut Schneiderus vult (comment ad Col.), existimare coacti sumus.

[3]) cf. Lundström. p. 28.

[4]) cf. Lundström. p. 29.

10,10	3,8
καὶ ἐγὼ μέντοι, ὦ Σώκρατες, ἔφη, συνεβούλευον αὐτῇ μὴ δουλικῶς ἀεὶ καθῆσθαι ἀλλὰ σὺν τοῖς θεοῖς πειρᾶσθαι δεσποτικῶς, πρὸς μὲν τὸν ἱστὸν προσστᾶσαν, ὅ τι μὲν βέλτιον ἄλλου ἐπίσταιτο, ἐπιδιδάξαι, ὅ τι δὲ χεῖρον, ἐπιμαθεῖν, ἐπισκέψασθαι δὲ καὶ σιτοποιόν.	denique uno loco quam minime oportebit eam consistere, neque enim sedentaria eius opera est, sed modo ad telam debebit accedere ac si quid melius sciat, docere, si minus, addiscere ab eo, qui plus intellegat, modo eos, qui cibum familiae conficiunt, invisere,
	tum etiam culinam et bubilia nec minus praesepia mundanda curare: valetudinaria quoque vel si vacent ab imbecillis identidem aperire et immunditiis liberare, ut cum res exegerit, bene ordinata et salubria languentibus praebeantur
	9
παραστῆναι δὲ καὶ ἀπομετρούσῃ τῇ ταμίᾳ	promis quoque et cellariis aliquid appendentibus[1]) aut metientibus intervenire:

nec minus interesse pastoribus in stabulis fructum cogentibus aut fetus ovium aliarumque pecudum subrumantibus: tonsuris vero earum utique interesse et lanas diligenter percipere et vellera ad numerum pecoris recensere: tum insistere atriensibus ut supellectilem exponant, et ferramenta detersa nitidentur atque rubigine liberentur, ceteraque quae refectionem desiderant, fabris concinnanda tradantur.

Quod de genere interpretationis hoc ex loco disci possit nihil est; sed qua ratione et qua de causa Columella Ciceronis verba in suum usum verterit, quam optime fieri potest apparet: Xenophon matremfamilias non senili modo sedere sed liberali modo ipsam opera inspicere praecipit: Columella autem, quoniam haec omnia

[1]) Lundström. *attendentibus* (p. 30) habet, errore ut mihi videtur.

ad vilicam transtulit, qui ipsa ancilla est, pro verbis μὴ δουλικῶς ἀεὶ καθῆσθαι ἀλλὰ σὺν τοῖς θεοῖς πειρᾶσθαι δεσποτικῶς substituit haec: *neque enim sedentaria*[1]) *eius opera est.* — in ceteris usque ad verba ἐπισκέψασθαι δὲ καὶ σιτοποιόν Columella cum Xenophonte in universum consentit. sed multa ad finem addita sunt, ita tamen, ut ultima verba Xenophontis, ab antecedentibus longo spatio dirempta, in mediis eis, quae accesserunt, posita sint. nam quod Xenophon dicit: παραστῆναι δὲ καὶ ἀπομετρούσῃ τῇ ταμίᾳ, hoc apud Columellam multo inferius sequitur: *promis quoque et cellariis aliquid appendentibus aut metientibus intervenire.* — quae cum ita sint, erit fortasse, qui haec omnia dicat ipsum Ciceronem addidisse, qui suis verbis ultima illa Xenophontis a se conversa iniunxerit: hoc si recte sese habet, Cicero Oeconomicum re vera novis rebus auxit, ut Schenkelius censet. attamen si recte sentio, hac in parte non modo verba et sententiae quasi ab omnibus partibus stilum Columellae redolent, verum etiam res tales sunt, quales Columella solus tractare potuit. ut ad singula transeamus, incipit oratio a coniunctione: *tum etiam*, quae a Columella frequentatur. sequitur statim *nec minus* (cf. p. 25). deinde de stabulis purgandis Columella etiam aliis locis isdem fere verbis loquitur. cf. II 14,7: *quaedam pluviis diebus ut bubilia et ovilia debent emundari.* vocabulum *valetudinarium*[2]) ante Senecam invenitur. quid autem vilico atque vilicae in valetudinariis faciendum sit, aliis quoque locis praecipit. cf. paulo superius (§ 7): *et si compererit, vel simulantem languorem sine cunctatione in valetudinarium deducat.* item XI 1,18: *sive aliter languidior est, in valetudinarium confestim deducat.* — ad verba *cum res exegerit* cf. VII 3,16: *si res exigat*; VIII 11,4: *ut, cum res exigit;* XI 3,65: *cum res exegisset;* XII 46,5: *et cum res exegerit;* VII 3,12: *ac si res exegit;* XI 2,71: *et si res ita exegerit.* — quia autem vilica se ipsam adiuvare non potest, pro verbis τῇ ταμίᾳ: *promis et cellariis substituit*[3]). quae reliqua sunt, paucis absolvere possumus, quoniam haec omnia a Columella addita esse

[1]) vocabulum *sedentarius* apud Plautum Aulul. 513 et Plinium paneg. 76 occurrit.

[2]) cf. Fries. Mus. Rhen. 54, 1899 p. 571. ibid. 55, 1900 p. 51.

[3]) Iam vero nemo dubitarit quin etiam supra (§ 4 cf. p. 57) Columella promum pro vilica posuerit et refutanda sit Lundströmii lectio *promae*.

iam satis apparet. *fetus ovium aliarumque pecudum]*. cf. ea exempla, quae p. 29 attulimus. *fructum cogere]*. cf. II 18,3; II 21,3; V 9,15; XI 2,70.

ceteraque quae refectionem desiderant fabris concinnanda tradantur]. cf. supra 2,6 (p. 50): *siquid vero curari aut concinnari oportet.*

9,14

ἐπὶ δὲ τούτοις πᾶσιν εἶπον, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἐγὼ τῇ γυναικὶ ὅτι πάντων οὐδὲν ὄφελος, εἰ μὴ αὐτὴ ἐπιμελήσεται ὅπως διαμένῃ ἑκάστῳ ἡ τάξις. ἐδίδασκον δὲ αὐτὴν ὅτι καὶ ἐν ταῖς εὐνομουμέναις πόλεσιν οὐκ ἀρκεῖν δοκεῖ τοῖς πολίταις, ἂν νόμους καλοὺς γράψωνται, ἀλλὰ καὶ νομοφύλακας προαιροῦνται, οἵτινες ἐπισκοποῦντες τὸν μὲν ποιοῦντα τὰ νόμιμα ἐπαινοῦσιν, ἂν δέ τις παρὰ τοὺς νόμους ποιῇ, ζημιοῦσι.

3,10

postremo his rebus omnibus constitutis nihil hanc arbitror distributionem profuturam, nisi, ut iam dixi, vilicus saepius, et aliquando tamen dominus aut matrona consideraverit animadverteritque ut ordinatio instituta conservetur. quod etiam in bene moratis civitatibus semper est observatum. quorum primoribus atque optimatibus non satis visum est bonas leges habere, nisi custodes earum diligentissimos cives creassent, quos Graeci νομοφύλακας appellant.

11) horum erat officium eos, qui legibus parerent, laudibus prosequi nec minus honoribus, eos autem, qui non parerent, poena multare

Ex initio nescio an ipsa Ciceronis oratio eluceat, quoniam verba: *postremo his verbis omnibus constitutis* id ipsum significat, quod Xenophon dicit: ἐπὶ δὲ τούτοις πᾶσιν [1]). cf. etiam de inv. I 9: *nunc his rebus breviter constitutis.* Ibid. I 102: *quintus locus est, per quem ostendimus ceteras res perperam constitutas.* Verr. V 8: *res suas ita constitutas habeat.* Catil. II 26: *reliquis autem de rebus constituendis;* de nat. deor. II 98: *rerum earum, quas*

[1]) Lundströmius (p. 30) praeter verbum *postremo*, quod Columellae esse ei concedo, etiam verbum *constitutis* nescio qua causa adductus uncis inclusit.

divina providentia dicimus constitutas. — in eis quae sequuntur, Columella ut solet, pro matrona vilicum substituit[1]), tum demum dominum et matronam adiungit[2]). — vocabulum *ordinatio*, quod Columella primus habet (I 9,8; IV 24,2; IV 29,12) pro ordine vel alio quodam positum est[3]). — in sequenti enuntiato Columella prima persona deleta suis ipsius verbis loquitur: *quod etiam in bene moratis civitatibus semper est observatum.* cf. ea exempla, quae p. 46 attulimus. II 13,2: *quod etiam in faba ceterisque leguminibus, quibus terra gliscere videtur, verisimile est accidere.* II 13,3: *quod etiam Vergilius significat dicendo.* XII 2,4: *quod etiam ludicris spectaculis licet saepe cognoscere.* — sed ad verba *in bene moratis civitatibus* cf. Cic. de orat I 85: *sine quibus civitates aut esse aut bene moratae esse non possunt.* Brut 7: *bene moratae et bene constitutae civitatis.* — quod legimus *primores atque optimates*, cum Xenophon nihil habeat nisi τοῖς πολίταις, utrum Cicero in interpretando res Romanas respexerit an duo illa a Columella posita sint, nullo modo explorari posse censeo. sane Cicero simili modo loquitur de rep. I 66: *tum magistratus et principes* (Plat. rep. 562 D: ἄρχοντας δή); sed substantivum *primores* apud Ciceronem non occurrit. cf. Cicero pro Caelio 28: *primoribus labris ustare.* — eodem modo iudicandum erit de verbis: *laudibus prosequi nec minus*[4]) *honoribus;* (Xenophon: ἐπαινοῦσιν); sane Cicero dicit de re publ. I 63: *ferunt laudibus et mactant honoribus*[5]),

---

[1]) Ceteris locis vilicam.

[2]) Ex hoc praecipue loco demonstrari potest, id quod nobis quidem videtur per se ipsum constare, non ipsum Ciceronem ante Columellam ea, quae Xenophon matrifamilias praescribit, ad vilicam transtulisse. accedit quod Columella ipse in praefatione huius libri haec ait (§ 10): . . . *necessaria irrepsit vilicae cura, quae tueretur officia matronae, quoniam et vilici quoque successerunt in locum dominorum, qui quondam prisca consuetudine non solum coluerant, sed habitaverant rura.* cf. etiam Lundström. p. 22.

[3]) cf. Fries. Mus. Rhen. 55, 1899 p. 51: *ordinatio* ist unklassisch. Columella gebraucht das Wort einmal (IV 29,12). — sed ter apud eum occurrit.

[4]) Scilicet vocabula *nec minus* Columellae sunt.

[5]) Est quaedam similitudo inter hunc locum et illum Platonicum (rep. 562 D; Cic. de rep. I 67): *eos, qui pareant principibus, agitari ab eo populo et servos voluntarios appellari; eos autem, qui in magistratu privatorum similes esse velint eosque privatos, qui efficiant ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus.* quam similitudinem notare tantum volui.

ubi tamen Plato habet δημοσίᾳ ἐπαινεῖ τε καὶ τιμᾷ (rep. 562 D). — Denique utut Cicero locum formavit, hoc mihi videtur constare Graecum verbum νομοφύλακες ab eo servatum esse[1]). nam cf. de leg. III 46: *extremae leges sunt nobis non usitatae, rei publicae necessariae, legum custodiam nullam habemus; itaque eae leges sunt, quas adparitores nostri volunt: a librariis petimus, publicis litteris consignatam memoriam publicam nullam habemus. Graeci hoc diligentius, apud quos* νομοφύλακες *creabantur. nec ii solum litteras, — nam id quidem apud maiores nostros erat —, sed etiam facta hominum observabant ad legesque revocabant.*

Accedunt nonnulla ex libro undecimo.

XI 1,5: *Itaque in Oeconomico Xenophontis, quem M. Cicero Latino sermoni tradidit, vir egregius ille Ischomachus Atheniensis, rogatus a Socrate*

XII 3	XI 1,5
πότερα δέ, ἐγὼ ἔφην, ὦ Ἰσχόμαχε, ὅταν δεηθῇς ἐπιτρόπου, καταμαθὼν ἄν που ᾖ ἐπιτροπευτικὸς	utrumne, si res familiaris desiderasset
ἀνήρ, τοῦτον πειρᾷ ὠνεῖσθαι, ὥσπερ ὅταν τέκτονος δεηθῇς, καταμαθὼν εὖ οἶδ' ὅτι ἄν που ἴδῃς τεκτονικόν,	mercari vilicum tamquam fabrum
τοῦτον πειρᾷ κτᾶσθαι, ἢ αὐτὸς παιδεύεις τοὺς ἐπιτρόπους;	an a se instituere consueverit:
4	
αὐτὸς νὴ Δί', ἔφη, ὦ Σώκρατες, πειρῶμαι παιδεύειν, καὶ γὰρ ὅστις μέλλει ἀρκέσειν, ὅταν ἐγὼ ἀπῶ ἀντ' ἐμοῦ ἐπιμελόμενος, τί αὐτὸν καὶ δεῖ ἄλλο ἐπίστασθαι ἢ ἅπερ ἐγώ;	'ego vero', inquit, 'ipse instituo. etenim qui me absente in meum locum substituitur et vicarius meae diligentiae succedit, is ea, quae ego, scire debet.

In hac parte a verbis *ego vero, inquit,* nisi omnia me fallunt, Columella nihil mutavit. nam et oratione recta Ciceronem loquentem facit et in parvis rebus quale est: *etenim* (καὶ γάρ) cum Xenophonte consentit. cf. etiam Verr. V 72: *tum iste homo nefa-*

[1]) cf. Lundström. p. 31. — In Timaeo Graeca vocabula non uno loco retinuit: 13, 23, 35, 38.

rius in eorum locum . . . substituere et supponere coepit cives Romanos. ibid. IV 89: *Verres in eorum locum substitutus est.* pro Murena 80: *nolite mihi substrahere vicarium meae diligentiae.* Verr. IV 81: *succedam ego vicarius tuo muneri.* pro Sex. Rosc. Amer. 111: *quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in iis operae nostrae vicaria fides amicorum supponitur.*

12,11

πρῶτον μέν, ἔφη, ὦ Σώκρατες, τοὺς οἴνου ἀκρατεῖς οὐκ ἂν δύναιο ἐπιμελεῖς ποιῆσαι. τὸ γὰρ μεθύειν λήθην ἐμποιεῖ πάντων τῶν πράττειν δεομένων.

XI 1,13

somni et vini sit abstinentissimus, quae utraque sunt inimicissima diligentiae. nam et ebrioso cura officii pariter cum memoria substrahitur.

12

οἱ οὖν τούτου ἀκρατεῖς μόνοι, ἐγὼ ἔφην, ἀδύνατοί εἰσιν ἐπιμελεῖσθαι ἢ καὶ ἄλλοι τινες; καὶ μὰ Δί', ἔφη ὁ Ἰσχόμαχος, καὶ οἵ γε τοῦ ὕπνου. οὔτε γὰρ ἂν αὐτὸς δύναιτο καθεύδων τὰ δέοντα ποιεῖν οὔτε ἄλλους παρέχεσθαι.

et somniculosum plurima effugiunt. quid enim possit aut ipse agere aut cuiquam dormiens imperare?

13

τί οὖν, ἐγὼ ἔφην, οὗτοι αὖ μόνοι ἀδύνατοι ἡμῖν ἔσονται ταύτην τὴν ἐπιμέλειαν διδαχθῆναι ἢ καὶ ἄλλοι τινὲς πρὸς τούτοις; ἔμοιγέ τοι δοκοῦσιν, ἔφη ὁ Ἰσχόμαχος, καὶ οἱ τῶν ἀφροδισίων δυσέρωτες ἀδύνατοι εἶναι διδαχθῆναι ἄλλου τινὸς μᾶλλον ἐπιμελεῖσθαι ἢ τούτου.

14

tum etiam sit a venereis amoribus aversus, quibus si se dediderit, non aliud quidquam possit cogitare qnam illud quod diligit.

14

οὔτε γὰρ ἐλπίδα οὔτ' ἐπιμέλειαν ἡδίονα ῥάδιον εὑρεῖν τῆς τῶν παιδικῶν ἐπιμελείας, οὐδὲ μήν, ὅταν παρῇ τὸ πρακτέον, τιμωρίαν χαλεπωτέραν εὐπετές ἐστι τοῦ ἀπὸ τῶν ἐρωμένων κωλύεσθαι.

nam vitiis eiusmodi pellectus animus nec praemium iucundius quam fructum libidinis nec supplicium gravius quam frustrationem cupiditatis existimat.

Ischomachus quaerenti Socrati respondet atque primum verba facit de ebriosis, tum demum, iterum interrogatus a Socrate, de somniculosis. haec Columella extrusa colloquii forma ut solet brevibus comprehendit: *somni et vini sit abstinentissimus, quae utraque sunt inimicissima diligentiae.* cf. XI 3,9: *nam utraque sunt oleribus inimica.* XII 52,13: *nam est utraque res inimica huic rei.* XII 6,6: *quae cuncta sunt capris inimica.* I 8,6: *quae utraque genera vana superstitione rudes animos ad impensas, ac deinceps ad flagitia compellunt.* ad verba *quae utraque* cf. praeterea: II 20,4; III 19,2; IV 1,1; IV 1,6; IV 7,1; V 1,6; V 11,1; VI 4,1; VI 27,1; VI 30,2; VIII 2,2; VIII 5,2; XI 1,21; lib. de arb. 26,1. — deinde XII 4,3: *quoniam totum in eo sit, ne contractentur pocula vel cibi, nisi aut ab impubi aut certe abstinentissimo rebus venereis.* — in ceteris quanta Columellae, quanta Ciceronis sint, haud facile dixerim. sed nescio an certius iudicium facere liceat de sequenti paragrapho. loquitur Columella ex verbis: *quibus si se dediderit,* quae sic collocare coactus erat, quoniam locum in suum usum formavit[1]). cf. II 18,1: *quod si permaduit, inutile est udum movere.* I 5,8: *quibus si caret, nulla alia vis potest nocturnas pruinas . . . siccare.* IV 3,5: *quod nisi fecerimus, omnis impensa in cassum recidat.* VII 4,2: *cui si quid detrahitur fraude vilici, clades sequitur gregem.* XII 19,5: *quod nisi vitatum fuerit, saepe vas ipsum pertundetur.* XII 20,2: *quod etiam si fecerimus, nihilo minus defrutum infra tertiam partem vasis considit.* — quid sentiamus de coniunctione *tum etiam* compluribus locis diximus. — quod porro legimus *venereis amoribus*, quae mirum in modum dicta sunt, Ciceronem his verbis accurate reddere voluisse Xenophontis οἱ τῶν ἀφροδισίων δυσέρωτες Lundströmio assentior (p. 14). iam vero ipsius Tullianae dictionis vestigia mihi videntur inesse etiam verbis: *non aliud quidquam possit cogitare quam illud quod diligit* cf. de nat. deor. I 114: *comprehende igitur animo et propone ante oculos deum nihil aliud in omni aeternitate nisi ‚mihi pulchre est' et ‚ego beatus sum' cogitantem.* Verr. IV 63: *cogitare nihil iste aliud . . . nisi . . . quem ad modum . . . dimitteret.* Catil. II 10: *nihil*

[1]) Recte mihi Lundströmius conicere videtur Ciceronem sic fere scripsisse: *mihi quidem videtur, inquit, is qui venereis amoribus se dediderit, non aliud quidquam posse cogitare quam illud quod diligit* (p. 14).

cogitant nisi caedem. de inv. I 24: *aut pro re hominem aut pro homine rem, ut ab eo, quod odit, ad id, quod diligit, auditoris animus traducatur*[1]). — reliqua nisi fallor Ciceroni in totum conveniunt, qui Xenophontem ad verbum non secutus sensum recte reddidisse satis habuit. nam praemia et supplicia apud eum multis locis coniuncta nominantur. cf. de nat. deor. III 85: *si in ea (domo) nec recte factis praemia exstent ulla nec supplicia peccatis.* de orat. I 247: *quia legibus et praemia proposita sint virtutibus et supplicia vitiis.* — ad verba: *nam vitiis eiusmodi pellectus animus* cf. pro Cluent. 13: *animum adulescentis nondum consilio ac ratione firmatum pellexit.* item ad verba *fructum libidinis* cf. Catil. II 8: *aliis fructum libidinis aliis mortem parantem.* — denique verba ὅταν παρῇ τὸ πρακτέον, quae apud Columellam desiderantur, utrum huius culpa, ut Lundströmius vult (p. 14), an Ciceronis praetermissa sint, mihi non satis constat.

20,16	XI 1,14
	Igitur primus omnium vigilet familiamque semper ad opera cunctantem pro temporibus anni festinanter producat et strenue ipse praecedat.
μέγα δὲ ἔφη διαφέρειν εἰς τὸ λυσιτελεῖν γεωργίαν καὶ μὴ λυσιτελεῖν, ὅταν ὄντων ἐργαστήρων καὶ πλεόνων ὁ μὲν ἔχῃ τινὰ ἐπιμέλειαν ὡς τὴν ὥραν αὐτῷ ἐν τῷ ἔργῳ οἱ ἐργάται ὦσιν, ὁ δὲ μὴ ἐπιμελῆται τούτου	plurimum enim refert colonos a primo mane opus aggredi nec lentos per otium pigre procedere.

Etsi Cicero verbis *plurimum enim refert* accurate reddidisse videtur Xenophontis μέγα δὲ ἔφη διαφέρειν, tamen hanc sententiam a Columella frequentatam huic convenire putaverim. cf. XII 52,11; I 9,3; II 10,5; II 10,24; III 21,8; IV 12,2; IV 13,1; V 6,20.

[1]) Etiam Lundströmium haec verba pro Ciceronianis habere ex eo apparet, quod locum restituit ut vidimus: *mihi quidem videtur, inquit, is qui venereis amoribus se dediderit, non aliud quidquam posse cogitare quam illud, quod diligit.*

Pergit Columella (§ 15):

ῥᾳδίως γὰρ ἀνὴρ εἷς παρὰ τοὺς δέκα διαφέρει τῷ ἐν ὥρᾳ ἐργάζεσθαι, καὶ ἄλλος γε ἀνὴρ διαφέρει τῷ πρὸ τῆς ὥρας ἀπιέναι	siquidem Ischomachus ille ‘malo’ inquit ‘unius agilem industriam quam decem hominum neglegentem et tardam operam’.
17	16
τὸ δὲ δὴ ἐᾶν ῥᾳδιουργεῖν δι᾽ ὅλης τῆς ἡμέρας τοὺς ἀνθρώπους ῥᾳδίως τὸ ἥμισυ διαφέρει τοῦ ἔργου παντός	quippe plurimum affert mali, si operario tricandi potestas fiat.
18	
ὥσπερ καὶ ἐν ταῖς ὁδοιπορίαις παρὰ στάδια διακόσια ἔστιν ὅτε τοῖς ἑκατὸν σταδίοις διήνεγκαν ἀλλήλων ἄνθρωποι τῷ τάχει,	nam ut in itinere conficiendo saepe dimidio maturius pervenit is, qui naviter et sine ullis
ἀμφότεροι καὶ νέοι ὄντες καὶ ὑγιαίνοντες, ὅταν ὁ μὲν πράττῃ ἐφ᾽ ᾧπερ ὥρμηται βαδίζων, ὁ δὲ ῥᾳστωνεύῃ τῇ ψυχῇ καὶ παρὰ κρήναις	cessationibus permeavit, quam is qui, cum sit una profectus,
καὶ ὑπὸ σκιαῖς ἀναπαυόμενός τε καὶ θεώμενος καὶ αὔρας θηρεύων μαλακάς.	umbras arborum fonticulorumque amoenitatem vel aurae refrigerationem captavit,
19	
οὕτω δὲ καὶ ἐν τοῖς ἔργοις πολὺ διαφέρουσιν εἰς τὸ ἀνύτειν οἱ πράττοντες ἐφ᾽ ᾧπερ τεταγμένοι εἰσὶ καὶ οἱ μὴ πράττοντες ἀλλ᾽ εὑρίσκοντες προφάσεις τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι καὶ ἐώμενοι ῥᾳδιουργεῖν	sic in agresti negotio dici vix potest, quid navus operarius ignavo et cessatori praestet.

Quamquam initio huius partis oratione recta Ischomachum loquentem facit Columella, Latina cum Graecis male congruunt, in quo etiam Lundströmium offendisse vidi (p. 15), qui utri huius dissensus culpam imponat primum dubius tum Columellam esse accusandum probabilius esse iudicat, et recte, ut mea fert opinio, cum vocem *agilis* (Col. II 2,27; VI 29,3; VI 37,11) apud

Ciceronem frustra quaeras. sed in hoc Lundströmius errat, quod sententiae suae confirmandae causa Columellam in sequentibus dicit a paragrapho sexta decima statim transisse ad undevicesimam. confert enim verba *quippe plurimum affert mali*, *si operario tricandi potestas fiat* (§ 16) cum his Xenophontis: εὑρίσκοντες προφάσεις τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι καὶ ἐώμενοι ῥᾳδιουργεῖν (§ 19), quamvis conveniant his: τὸ δὲ δὴ ἐᾶν ῥᾳδιουργεῖν δι' ὅλης τῆς ἡμέρας (§ 17). in hoc vero rursus Lundströmio assentior, quod verba *tricari* et *potestas fiat* interpretationis Ciceronianae frustula esse censet, quorum illud apud Columellam omnino non exstat (sed cf. Cic. ad Att. XIV 19,4; ib. XV, 13,5). — ceterum Columella sequentia quoque suo more ita tractavit, ut multis praetermissis idonea tantum sibi sumeret; cuius elocutio latet in verbis *quippe*, quod apud Ciceronem sine coniunctione vel pronomine relativo non invenitur (Col. I praef. 25/6; I 1,15; I 3,9) et *permeare* (VIII 17,5). attamen etiam in his quaedam Ciceronis intacta reliquit velut verba *umbras arborum fonticulorumque amoenitatem vel aurae refrigerationem captavit.* haec enim a Columella integra tradita esse[1]) inde colligo, quod Cicero in interpretando pro concretis — ut ita dicam —, abstracta ponere solet (fonticulorum amoenitatem, aurae refrigerationem; Xenophon simplicius: παρὰ κρήναις, αὔρας). cf. de senect. 59 (supra p. 18) *proceritates arborum* (Xen. IV 21: ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη); item *suavitas odorum* (Xen.: ὀσμαὶ δὲ πολλαὶ καὶ ἡδεῖαι).

Iam vero longam viam per regiones non ubique amoenas dimensi ad finem pervenimus et fatigati subsistimus; neque vero sine fruge abeundum esse unusquisque fateatur, qui hoc in itinere nos comitatus est. nam de duobus illis, quae nobis proposuimus, utrumque si non persolvisse, ita tamen nobis solvisse videmur, ut multum a fine abesse nequeamus. nam primum eas reliquias, quae a ceteris scriptoribus traduntur, perscrutati aliorum fontium vestigiis nullis comprehensis Ciceronem interpretem satis fidum invenimus, unde eandem rationem etiam in ceteris reliquiis inesse conclusimus. Columellae vero libros aggressi in novas difficultates deducebamur, quoniam eum Ciceronis verba suis ipsius multis locis obscurasse vidimus. attamen prospere accidit, quod paene omnia, quae vel plura

---

[1]) cf. etiam Lundström. p. 17.

exhibet vel nimis ab exemplari recedunt, ipsi Columellae tribuere nobis contigit. quaestione igitur huc perducta nescio an hoc iudicium de toto Ciceronis opere facere liceat: Cicero Xenophontis Oeconomicum convertit ut interpres atque ita eum secutus est, ut par fere esset utriusque operis amplitudo. quare sive revera eius opus tribus libris compositum fuit sive non, certe rebus ex aliis fontibus sumptis amplificatum non erat. et si recte sentio, confirmatur hoc iudicium verbis illis Hieronymi, qui, nisi fallor, testatur Ciceronem in interpretando Oeconomico tam arte ad exemplar suum se applicasse, ut vix Latine loqueretur (Euseb. Chronic. II praef. 1): . . . *et cum Aratum iam Romanum hexametris versibus edidisset, in Xenophontis Oeconomico lusit*; *in quo opere ita saepe aureum illud flumen eloquentiae quibusdam scabris et turbulentis obicibus retardatur*, *ut qui interpretata nesciunt*, *a Cicerone dicta non credant.*

Restat ut iterum valde me gaudere profitear, quod vir doctissimus Lundströmius in summa rei mecum consentit.

Vita.

Natus sum Karl Virck Vimariae die 19. mensis Iunii anno 1890. fidem confiteor evangelicam. litterarum elementis imbutus per novem annos frequentavi gymnasium Ernestinum Vimariense. per quattuor annos studiis philologicis et Germanicis me dedidi primum Kiliae, deinde Friburgae, postremo Berolini et docentes audivi viros doctissimos: Bickel, Fraenkel, Harms, Jacoby, Martius, Neumann, Sauer, Sudhaus Kilienses; Aly, Fabricius, Götze, Kluge, Rickert, B. Schmidt, Schwartz, Thurneysen Friburgenses; Baesecke, Delbrück, Dessoir, H. Diels, Erdmann, Geiger, Harnack, Lasson, Loeschcke, Maas, Norden, Roethe, E. Schmidt, W. Schulze, Simmel, Wagner, Wentzel, de Wilamowitz—Moellendorff Berolinenses. benigne me admisit ad exercitationes philosophicas Riehl. per duos annos proseminarii philologici et Kiliensis et Friburgensis et Berolinensis atque per unum annum seminarii regii Berolinensis sodalis fui ordinarius. mense Martio huius anni (1914) examine facultatem in gymnasiis docendi assecutus studia mea absolvi.

Magistris meis omnibus, praecipue Nordeno, qui me ad hoc opus adhortatus est atque studiis meis semper favit, gratiam debitam ex animo referre semper studebo.

F. Roltsch, Buchdruckerei, Weimar.